C. D.

DE

DEPOSITO JURIS

PERMISSU

MAGNIFICI JCtorum ORDINIS

in illustri Salana

PRÆSIDE

DN. JOH. HENR. POTT.

Philos. & U. J. D.

in auditorio JCtorum


ad diem Maii

disputabit

ARNOLD. COELEST. WERNICKE-


Soldin. Neomarchicus.

Jenæ, Typis Bauhoferianis 1685.





PROOEMIUM.



Ea quæ frequentia sunt & necessaria plenius attingenda esse monent JCtus Paulus *in l. 2. ff. d. liberat. leg.* & Leo Imper. *in N. 86.* & rectè quidem. Turpe enim est futilibus atque inutilibus omnem suam dicare operam, ea verò quæ ad juvandam Rempubl. aliquid momenti afferre possunt susque deque habere. Quod intimius perpendens atq; considerans, cum jamdudum animum induxerim specimen aliquod elaborare academicum, elaboratumque in lucem producere publicam, æquissimæque eruditorum exponere censuræ, tale mihi eligendum existimavi thema, quod non ab omni penitus remotum utilitate, sed quod potius inservire possit commodis eorum, qui non solum theoriæ, verum & praxi suas committere fortunas, hancque cum illa svavissimè conjungere allaborant: verum enim illud est, quod vulgo dici solet: juris cognitionem sine exercitio esse meram perditionem. Sisto igitur Tibi B. L. hanc de DEPOSITO JURIS materiam utilem æquè ac necessariam, quam optimo jure hisce elogiis ornare licet, cum non solum iis quibus judicis imposita persona scitu maximè necessaria, ne vel in deposito accipiendo, vel etiam custodiendo suas negligant partes, sed & ipsis deponentibus, ne requisitis hujus depositi neglectis incautos sese in deponendo gerant, partem scilicet debiti offerendo, aut aliud quoddam requisitum omittendo, sicque actum cum tristi expensarum amissione reddant invalidum, imò planè nullum. Sed cum ea demum felicem sibi promittere possint successum, quæ Deo duce inchoantur, ad eum tanquam omnis juris justitiæque fontem sese supplex mea convertit oratio, devotissimis & calidissimis precibus divinam ejus implorans gratiam atque assistentiam. Adsis igitur mihi, Triune Deus, dirige mentem & calamum, ut omnia vergant præprimis in Tui Divini Nominis gloriam majorem, mei verò meorumque studiorum incrementum.

CAPUT I.

continens

Nominis explicationem, descriptionem, atque divisionem.

Th. 1.

Inter obligationem dissolvendi modos ultimum sanè non meretur locum oblatio rei debitæ, qua altera parte etiam invita debitor sese ab obligatione, qua creditori suo devinctus est, liberare potest: Sicuti enim grave tormentum est, debere cui nolis Senec. *l. 2. de benefic. c.* 18. ita ingens contra est beneficium habere remedium, quo te ab obligatione invito creditore eximere valeas. Ut autem innotescat de quanam hoc procedat oblatione, monendum statim in frontispicio, oblationem non esse uniusmodi, sed dividi in *verbalem* & *realem*. Ex his *verbalis* tunc fieri dicitur, quando quis non habens pecuniam, vel aliam rem quam vult præstare, præsentem; verbò tantum offert se paratum esse ad solvendum. *Realis* verò est, quando pecunia vel res quæ debetur est præsens Negúzant. *tr. de pignor. & hypoth. part. 5. princ. memb. 3. part. 3. n.* 1. Schneidew. *ad §. f.* 1. *quib. mod. toll. obl.* Schultz. *d. oblat. obsignat. & deposit. pecuniæ debitæ c.* 1 §. 4. & 5. Subdividitur autem hæc realis oblatio in *nudam*, in qua præter solam oblationem nihil amplius intervenit, & *solennem*, in qua hæc tria ordine concurrunt (1) oblatio rei debitæ, (2) oblatæ, sed à creditore non acceptæ, obsignatio. (3) Obsignatæ in locum publicum depositio Magnif. D. Struv. *S. I. C. Ex.* 47. *th.* 79. Schultz. *d. l. §. 7. &* 8. Non autem quævis oblatio hujus est loci, sed solennis saltem h. e. quæ conjuncta est cum rei debitæ obsignatione & depositione.

Th. 2. Quoniam verò hic obligationem tollendi modus in jure nostro certum & speciale nomen non habet, sed modo oblationis, modo obsignationis, modo depositionis nomine denotatur *l. 9. C. d. solut.* etenim obsignationis vocabulum per se & absolutè positum, eam nonnunquam exprimit obsignationem, quæ depositionem habet adjunctam: & depositionis vox simpliciter & sine adjectione po-

posita, eam haud rarò denotat, quæ præcedentem habet obsignationem ut in *l.* 41. §. 1. *ff. d. usur.* Donell. *lib.* 16. *comm. cap.* 14. *p.* 683. *lin.* 55. *& seqq.* propriè autem & accuratè loquendo ipsa depositio ab oblatione, nec non ab obsignatione multis parasangis differt, ea propter solent Dd. hunc obligationem tollendi modum depositi juris nomine insignire, præprimis cum commodius sit singulas causas singulis nominibus distingvi §. 5. *Inst. quib. mod. test. infirm.* Duplex namque perhibent dari depositum, *juris* videlicet, & *facti*, illudque esse modum tollendi, hoc vero constituendi obligationem affirmant. Mozz. *tr. d. contr. tit. deposit. rubr. de division. depos. n.* 14. Mev. *ad Jus Lubec. lib.* 3. *tit.* 3. *art.* 2. *n.* 2.

Th. 3. Sumitur vero depositum juris multifariam, & quidem (1) *propriè* pro solenni rei debitæ depositione (2) *impropriè* pro minus solenni, quæ præcedentem oblationem & obsignationem non habet. (3) generaliter pro omni eo deposito quod jure fit (4) specialiter pro eo, quod contractui depositi contradistingvitur, & non constituit, sed potius dirimit atque tollit obligationem. Quamvis enim omne depositum, depositum juris dici possit, specialiter tamnn Dd. illud tantum ita vocant quo obligationes dirimuntur atque tolluntur (5) denique sumitur hoc vocabulum objectivè pro re deposita. Ex quibus tamen omnibus significationibus, quarta potissimum acceptio huc spectat.

Th. 4. Synonymiam depositi juris quod concernit, vocatur illud alias depositio pecuniæ debitæ, solennis debitæ depositio, Freyer. *de solution. cap.* 7. *memb.* 7. Obsignatio *d. l.* 41. §. 1. *ff. d. usur.* Schultz. *d. l.* §. 10. & in specie quando pecunia apud aliquem judicis autoritate deponitur vocant illud depositum justitiæ, Joh. Bapt. Asinius *d. Exc. c.* 1. §. 1. In vernacula juxta *Coll. Argent. Jur. tit. d. solut. th.* 27. *in fin.* Eine Hinterlegung. Verum cum vocabulum hoc ob nimiam generalitatem illud quoque denotet depositum quod à Dd. depositum facti dici solet, convenientius nostrum dicetur Eine gerichtliche Hinterlegung vid. Joh. Jacob. Speidel. *in Speculo Jurid. Polit. voc.* Hinterlegung.

Th. 5. Variè autem à variis depositum juris definiri solet; & Hahn. quidem *ad Wesenbec. tit. deposit. vel contra n.* 5. *pr.* sequentem in modum illud describit: Depositum juris est, quando debitor ob-

 la-

latam creditori pecuniam sed acceptare recusanti, in æde sacra vel coram judice obsignatam deponit, ut pecuniæ periculum à se avertat & cursus usurarum sistatur *l.* 19. *C. d. usur.* Mozz. *d. tr. loco supra citato.* à qua verbis solum, non verò re ipsa differunt eæ definitiones quibus alii essentiam depositi juris exprimere satagunt, suntque sequentes: Depositum juris est actus, quo res debita creditori, justè oblata, & ab ipso injustè recusata, ritè & legitimè eum in finem, ut debitor ab obligatione liberetur, deponitur. Seu: est modus, quo per solennem & legalem rei debitæ depositionem obligatio ipso jure tollitur; quæ posterior ob eam, quam continet brevitatem ac perspicuitatem maximè nobis præ aliis arridet.

Th. 6. A definitione depositi juris ad ejusdem hunc progredimur divisionem, non obstante quod alii defendant, neque jus Civile, neque ejus interpretes divisionem quandam agnoscere. Sicut enim ipsa oblatio dividitur in nudam & solennem, ita nec inconcinnè depositum juris in largiori significatu in *nudum* atque *solenne* dispesci potest. Ex his nudum est, quod nulla legitima debiti præcessit oblatio, quod licet regulariter non habeat effectum liberationis, in quibusdam tamen casibus & ipsum vim solutionis obtinet. Solenne verò dicitur, quod tribus potissimum absolvitur, solenni scilicet pecuniæ seu rei debitæ oblatione, rei oblatæ obsignatione, & denique rei obsignatæ depositione. Donell. *lib.* 16. *Comm. cap.* 14. *p.* 683. *lin.* 39. Schultz. *d. l.* §. 9.

Th. 7. Dictum autem, quod depositum juris sit modus tollendi obligationem, in quo præcisè ratio, qua illud à deposito facti distingvitur consistit, fit enim non simpliciter custodiæ, sed principaliter obligationis dissolvendæ gratia, & habet vim solutionis; non qvod sit solutio propriè sic dicta, sed quod pro solutione habeatur, sitque talis per analogiam, uti placet Hahn. ad Wes. *tit. d. solut. n.* 9. *pr.* vel quod sit solutio civilis D. Struv. *S. I. C. Ex.* 47. *th.* 78. & 79. Verba autem ipso jure indigitant, quod per hanc depositionem omninò extingvatur obligatio, ita ut nullæ reliquiæ sive naturalis, sive civilis obligationis remaneant Mynf. *ad rubr. I. quib. mod. toll. obl. n.* 10. adeo, ut non opus habeat debitor sese defendere aliqua juris exceptione, Manz. *ad pr. I. d. t. n.* 22. est namque obligatio & depositio pro naturali solutione, operaturque effectum plenæ liberationis. *l.* 9.

C. d.

C. d. solut. fecit enim debitor quod potuit, & quantum in se fuit obligationi suæ satisfecit *l. 3. §. 4. ff. ad SC. Syllan.* add. Preuschel cant. *lib. 4. T. 4. a. 4. §. 1.*

Th. 8. Ad id autem, ut hoc depositum juris sit modus tollendi obligationem, requiritur, ut adsit *solennis* & *legalis rei debitæ depositio*, cujus requisita infra cap. 3. fusius exponemus, illud tantum hic notantes, Romanos utplurimum pecuniam deposuisse in ædibus sacratissimis ac templis. *l. 19. C. d. usur. l. 73. ff. d. procur. l. 4. in pr. ff. d. Statu liber. l. 7. §. 2. ff. d. minor.* & sæpissime quidem in templo Vestæ, teste Dione *lib. 48.* Brisson. *tr. de solut. p. 116.* Hahn. *d. jur. offerendi th. 16. med.* quo spectant ea, quæ habet Cicero *ad Attic. lib. 5. Epist. ult. Græcis postulantibus*, inquit, *ut in fano deponerent, non concessi:* nec non Herodianus *l. 1. Histor. In illo incendio*, ait, *quo templum pacis Romæ conflagravit, magna facta pecuniarum, quæ illic deposita erant, jactura.* Fluxisse autem hoc ex antiquis moribus, quibus pecuniæ sacro commendari solebant, quasi tutiore loco esse non possent, autor est d. Brisson. *l. c.* Et hæc est ratio, cur ædis sacræ in definitione sua depositi juris mentionem fecerit Hahn. *d. l.* An verò hodie præcisè in loco judiciali fieri debeat depositio, aut, an sufficiat, eam extrajudicialiter fieri suo proponemus loco.

CAPUT II.

De Subjecto & Objecto depositi juris.

Th. 1.

Acturi hoc in cap. de subjecto & objecto depositi juris, h. e. de iis, qui deponere nec non de rebus quæ deponi possunt, præmittenda erit regula illa, quam Dd. communiter & circa solutionis materiam observare atque tradere solent, estque sequens. Is potest offerre & deponere, nec non solvere debitum, qui liberam rerum suarum habet administrationem. *arg. §. 2. I. quib. alien. lic. vel non.* Qui enim administrandi, item solvendi facultate destituitur, ejus oblationem cie-

creditor juste recusaret, & sic per consequens sine effectu deponeet, *arg. d. §. 2.*

Th. 2. Ex his verò facilè liquet excludi hic (1) furiosum, is enim nil quicquam agere potest, quia mens ejus seipsum ignorat, miserabilique ignorantiæ infortunio premitur. *Novell. Leon.* 112. item quia neque scire, neque decernere potest *l. 9. ff. d. acqv. hered.* omnique caret intellectu *l. 14. d. offic. præsid.* judicio, *l. 12. §. 2. d. jud.* mente, *§. 1. I. Quib. non est permiss. fac. testam.* ut proinde ejus nullus sit consensus *l. 2. C. d. contr. empt.* quæ & ratio, cur generaliter dicatur à Paulo *in l. 5. ff. d. R. J.* furiosum nullum negotium contrahere posse, add. *§. 4. I. d. inutil. stipul.* mentis enim compos se solum obligare potest, *l. 43. d. o. & a.* qualis furiosus non est. Imo in tantum hoc procedit, ut licet omnia prudenter in hoc actu à furioso gesta videantur, omniaque adsint necessaria requisita, nihilominus tamen pro nihilo habeantur ea, quæ ab eo gesta sunt. *arg. l. 2. §. 16. ff. pro empt.* Niell. *Disp. feud. 2. th. 4.* Magnif. Dn. Mullerus *In comm. ad tit. ff. d. R. J. part. 1. p. 30.* dummodo liquido constet eum tempore factæ depositionis vere adhuc fuisse furiosum, prudentiamque saltem simulasse, alias enim quando dubitatur, utrum actus à furioso gestus, fuerit factus tempore furoris, an verò tempore intermissionis, inspiciendum omnino, utrum actus ille more sapientis gestus fuerit, annon. Priori enim casu præsumitur illum eo tempore, quo actus factus est furiosum non fuisse: posteriori verò casu res aliter se habet *arg. l. 12. §. 1 ff. d. tutor. & curat. dat. ab his.* Bald. *in l. furiosum 9. C. qui testam. fac. poss.* Thomas Grammatic. *decis. 73. n. 38.* Freyer. *d. tr. d. solut. c. 2. n. 47.* Intelligendum tamen hoc solum de eo furioso, qui perpetuo furore laborat aliud enim dicendum de eo qui habet furorem per intervalla remittentem, unde si quis tempore dilucidi intervalli hoc negotium celebraverit, utique validè, & cum effectu eum deposuisse statuendum erit.

Th. 3. Secundo excluditur hic prodigus, ast non omnis, sed juridice talis, hoc est is cui bonorum suorum administratio est interdicta. Maxime enim differunt prodigus Ethice & juridice talis. Ea namque quæ à prodigo Ethice tali, h. e. ab eo, qui neque tempus, neque finem expensarum habet, sed bona sua dilapidando & dissipando profundit, nulla habita ratione earum circumstantiarum, quæ in liberalitatis actu ob-

obſervari debent, Ariſt. 4. *Eth.* 1. geruntur, nulla non ſunt. Quæ verô à prodigo juridicè tali, h. e. ab eo, qui decreto inſuper prætoris ſ. magiſtratus pro prodigo publicè fuit declaratus, nullo modo valent: cum enim falli poſſint hominum judicia, maximè attendendum hic decretum ſ. ſententia declaratoria magiſtratus, quem ſuper prodigalitate cognoſcere oportet. Requiritur autem hæc ſententia declaratoria non tam ad hoc, ut quis conſtituatur prodigus, ſed, ut publicè conſtet eum eſſe talem *l.* 12. *ff. d. tutor. & curat. l.* 10. *ff. d. curat. furioſ. l.* 6. ubi Bart. & Jaſon. *ff. d. V. O.* Carpz. *p.* 3. *c.* 6. *d.* 10. *n.* 3. Et qvamvis rei veritate inſpecta citra interdictionem bonorum quis Ethice prodigus eſſe poſſit, juridice tamen & ad eum effectum, ut nihil ipſi agere liceat, non poteſt, qvemadmodum benè diſtingvit Carpz. *l. c.* nec non *p.* 2. *c.* 15. *d.* 37. *n.* 1. Conf. Gomez. *Tom.* 2. *variar. reſol. cap.* 14. *n.* 31. Gail. 2. *obſerv.* 83. *n.* 16. Maſcard. *d probat. concl.* 515. Hilliger. *lib.* 12. *Donell. enucl. cap.* 22. *lit. F.* Convenit igitur ejuſmodi prodigus in hoc juris articulo cum furioſo & demente, cum & aliàs cum pupillo, qvi hic ſicuti mox dicetur, cum furioſo pari paſſu ambulat, in amittendo & alienando comparari ſoleat. *l.* 9. §. *ſed etſi ff. ſi cert. pet.* Hering. *d. fidejuſſ. c.* 7. *n.* 138. Freyer. *d. tr. cap.* 2. *n.* 49. Apparet autem ex dictis, quod ante ſententiam declaratoriam prodigus ethice talis valide contrahere, & omnes actus alios ſine curatore ejusve conſenſu celebrare poſſit, adeoque & cum effectu rem debitam judicialitér deponere, id quod tamen de jure provinciali Prutenico notabiliter fallere videtur in eo, qui notoriè & manifeſtè prodigus eſt, licet eo tempore, quo geſſit, pro tali nondum fuerit declaratus, nec bonis ipſis interdictum per Text. in Landr. *lib.* 2. *Tit.* 6. *a.* 10. §. 10. Verba textus hæc ſunt: *Si qua etiam notorium & manifeſtum fuerit, prodigum aliquem eſſe, isque cum alio quid contraxerit & geſſerit, in quo prodigalitas apertè deprehendatur, idque à conjunctis & cognatis magiſtratui indicatum, tum eum contractum, etiamſi illo tempore quis prodigus à magiſtratu nondum declaratus, nec bonis ei interdictum ſit, ipſo jure invalidum & nullum eſſe jubemus.* Deprehenderetur verò in hoc caſu prodigalitas, ſi deponens non attento, quod perpetua ſeſe defendere potuiſſet exceptione adverſus creditorem, forſan, quod pactum de non

petendo reale illum inter & creditorem intercesserit, judicialiter tamen debitum deposuerit.

Th. 4. Tertio excluditur hic pupillus sine tutoris autoritate deponere volens, habet enim hæc depositio vim solutionis, ast pupillus facultate solvendi sine tutoris autoritate destituitur. *l.* 14. §. *f. ff. d. solut.* imo in genere libera bonorum administratione haud pollet & absque tutoris sui autoritate alienare nihil valet *l.* 9. §. 2. *ff. d. autor. & conf. tut.* Neque huic assertioni obicem ponit, quod pupillus deponendo debitum conditionem suam meliorem facere videatur, dum scil. ab usurarum præstatione & ipsa obligatione principali liberatur, & periculum rei debitæ in creditorem transfert, quo casu & sine tutoris autoritate valide eum agere posse clarus innuit *tx. pr. I. d. autor. tut.* Etenim petitur hic τὸ ἐν ἀρχῇ illud quod est in principio, an semper pupillus deponendo pecuniam debitam conditionem suam meliorem faciat. Si enim naturaliter solvendo hoc non facit, utpote cum indebitè solvere possit, neque id præstabit deponendo pecuniam debitam vid. Wes. *ad* §. 2. *I. quib. alien. non lic.* Manz. *ibid. n.* 45. ubi quamplurimos casus recenset, quibus & solvendo conditionem suam deteriorem potius, quam meliorem facere possit. Pupillo verò quarto loco adjungitur minor habens curatorem, ita ut neque eum debitum deponere posse sive judicialiter, sive extrajudicialiter, statuamus, cum expediti juris sit minorem habentem curatorem sine consensu ejus non obligari. *l.* 3. *C. d. in integr. rest.* ubi Sichard. & Dd. *communiter*, & nec solvere posse. *l.* 14. §. *f. ff. d. solut.* Wes. *in paratit. d. solut. n.* 3. Dissentit Joh. Zanger. *in tr. d. Except. p.* 3. *c.* 1. *n.* 36. *& seqq.* existimans & minorem curatorem habentem offerre, deponere, & solvere posse, cui tamen exassè & per omnia satisfacit Freyer. *d. tr. d. solut. c.* 2. *p.* 22. *n.* 43. Cæterum minores curatorem non habentes recte & cum effectu debitum offerre & deponere possunt, *arg. l.* 3. *C. d. in integr. restit.* Quamvis hodie distinctio illa inter minorem curatorem habentem, & non habentem ex quorundam opinione non adeo magnum habeat usum, cum moribus nostris tutela & cura plerumque cohæreant, & in una eademque persona successivè concurrant, ita, ut qui tutor alicujus fuit, ejus quoque maneat curator, sicque qui tuto-

rem

rem aliquem habuit eundem quoque curatorem retineat. Gail. 2. *obs.* 96. Unde & in vernacula promiscuè vocantur Vormünder Philipp. *U.I.Pr. l.* 1. *Ecl.* 92. *n.* 1.

Th. 5. Quod si igitur dictæ personæ contra expressam juris prohibitionem rem debitam deposuerint, illamque creditor ad se receperit, non potest dici dominium translatum, sed vindicationi erit locus, nisi pecunia vel res debita, b. f. fuerit consumpta & solutio ex ea causa facta, ex qua fieri potuisset exactio, tunc enim liberatur debitor deponens, & subsistit actus, id quod placuit ad vitandas ambages Brunnem. *tit. ff. d. solut. n.* 4, & Bachov. *vol.* 2. *D.* 29. *th.* 2. *lit. G.* ab eo ibid. citatus.

Th. 6. An verò & debitor, qui criminis perduellionis reus ante sententiam declaratoriam debitum offerre atque deponere possit, quæstionis est non adeo expeditæ. Sane solvere ejusmodi debitorem posse defendit Zanger. *d. tr. d. Except. c.* 1. *n.* 49. *& seqq.* cui adstipulatur Freyer. *l. c. p.* 24. *n.* 51. quod si hoc, dubitandum vix erit, quin & offerre ac deponere debitum valeat. Sed contrariam sententiam, nullatenus scilicet talem debitorem solvere posse, tenet. Dn. Struv. *S. I. C. Ex.* 47. *th.* 69. nixus *arg. l. ult. pr. C. ad L. Jul. Majest.* quæ opinio verior quoque videtur, & consentit etiam Preusch. Landr. *l.* 4. *tit.* 21. *a.* 1. §. 11. Nec obstat regula illa quæ est in *l.* 15. *ff. d. donat. l.* 2. *ff. d. bon. damnat.* nec non in *l.* 46. §. 6. *ff. d. jur. fisc.* Reum scilicet ante damnationem habere bonorum suorum & dominium & administrationem. Etenim ab illa regula Divi Severus & Antoninus exceperunt crimen repetundarum & majestatis, quoad alienationem & administrationem, quamvis non quoad dominium. *l.* 20. *ff. d. accus. & inscript.* add. *l.* 5. §. 4. *C. ad L. Jul. d. adult. l.* 15. *in pr. ff. Qui & à quib. manumiss. liberi non fiunt.* Unde ex eo tempore, quo primum quis de ineunda factione ac societate consilium cepit, nullius momenti sunt emancipationes, dotes, donationes, manumissiones, & denique quarumlibet rerum alienationes, cum quicquid ab ejusmodi debitore alienatur, videatur in fraudem fisci alienari, quem scire debebat propter crimen commissum se habiturum esse successorem. *l.* 45. *ff. d. jure Fisci.* Ungepaur. *Exercit. justin.* 16. *qv.* 10. Eckolt. *tit. ff. ad L. Jul. Majest.* §. 11. Obstat igitur Regula à nobis sub initium statim

 hujus

petendo reale illum inter & creditorem intercesserit, judicialiter tamen debitum deposuerit.

Th. 4. Tertio excluditur hic pupillus sine tutoris autoritate deponere volens, habet enim hæc depositio vim solutionis, ast pupillus facultate solvendi sine tutoris autoritate destituitur. *l.* 14. §. *f. ff. d. solut.* imo in genere libera bonorum administratione haud pollet & absque tutoris sui autoritate alienare nihil valet *l.* 9. §. 2. *ff. d. autor. & conf. tut.* Neque huic assertioni obicem ponit, quod pupillus deponendo debitum conditionem suam meliorem facere videatur, dum scil. ab usurarum præstatione & ipsa obligatione principali liberatur, & periculum rei debitæ in creditorem transfert, quo casu & sine tutoris autoritate valide eum agere posse clarus innuit *tx. pr. I. d. autor. tut.* Etenim petitur hic τὸ ἐν ἀρχῇ illud quod est in principio, an semper pupillus deponendo pecuniam debitam conditionem suam meliorem faciat. Si enim naturaliter solvendo hoc non facit, utpote cum indebitè solvere possit, neque id præstabit deponendo pecuniam debitam vid. Wes. *ad* §. 2. *I. quib. alien. non lic.* Manz. *ibid. n.* 45. ubi quamplurimos casus recenset, quibus & solvendo conditionem suam deteriorem potius, quam meliorem facere possit. Pupillo verò quarto loco adjungitur minor habens curatorem, ita ut neque eum debitum deponere posse sive judicialiter, sive extrajudicialiter, statuamus, cum expediti juris sit minorem habentem curatorem sine consensu ejus non obligari. *l.* 3. *C. d. in integr. rest.* ubi Sichard. & Dd. *communiter*, & nec solvere posse. *l.* 14. §. *f. ff. d. solut.* Wes. *in paratit. d. solut. n.* 3. Dissentit Joh. Zanger. *in tr. d. Except. p.* 3. *c.* 1. *n.* 36. *& seqq.* existimans & minorem curatorem habentem offerre, deponere, & solvere posse, cui tamen exassè & per omnia satisfacit Freyer. *d. tr. d. solut. c.* 2. *p.* 22. *n.* 43. Cæterum minores curatorem non habentes rectè & cum effectu debitum offerre & deponere possunt, *arg. l.* 3. *C. d. in integr. restit.* Quamvis hodie distinctio illa inter minorem curatorem habentem, & non habentem ex quorundam opinione non adeo magnum habeat usum, cum moribus nostris tutela & cura plerumque cohæreant, & in una eademque persona successivè concurrant, ita, ut qui tutor alicujus fuit, ejus quoque maneat curator, sicque qui tuto-

rem

rem aliquem habuit eundem quoque curatorem retineat. Gail. 2. *obs.* 96. Unde & in vernacula promiscuè vocantur Vormünder Philipp. *U.I.Pr. l.* 1. *Ecl.* 92. *n.* 1.

Th. 5. Quod si igitur dictæ personæ contra expressam juris prohibitionem rem debitam deposuerint, illamque creditor ad se receperit, non potest dici dominium translatum, sed vindicationi erit locus, nisi pecunia vel res debita, b. f. fuerit consumpta & solutio ex ea causa facta, ex qua fieri potuisset exactio, tunc enim liberatur debitor deponens, & subsistit actus, id quod placuit ad vitandas ambages Brunnem. *tit. ff. d. solut. n.* 4, & Bachov. *vol.* 2. *D.* 29. *th.* 2. *lit. G.* ab eo ibid. citatus.

Th. 6. An verò & debitor, qui criminis perduellionis reus ante sententiam declaratoriam debitum offerre atque deponere possit, quæstionis est non adeo expeditæ. Sane solvere ejusmodi debitorem posse defendit Zanger. *d. tr. d. Except. c.* 1. *n.* 49. *& seqq.* cui adstipulatur Freyer. *l. c. p.* 24. *n.* 51. quod si hoc, dubitandum vix erit, quin & offerre ac deponere debitum valeat. Sed contrariam sententiam, nullatenus scilicet talem debitorem solvere posse, tenet. Dn. Struv. *S. I. C. Ex.* 47. *th.* 69. nixus *arg. l. ult. pr. C. ad L. Jul. Majest.* quæ opinio verior quoque videtur, & consentit etiam Preusch. Landr. *l.* 4. *tit.* 21. *a.* 1. §. 11. Nec obstat regula illa quæ est in *l.* 15. *ff. d. donat. l.* 2. *ff. d. bon. damnat.* nec non in *l.* 46. §. 6. *ff. d. jur. fisc.* Reum scilicet ante damnationem habere bonorum suorum & dominium & administrationem. Etenim ab illa regula Divi Severus & Antoninus exceperunt crimen repetundarum & majestatis, quoad alienationem & administrationem, quamvis non quoad dominium. *l.* 20. *ff. d. accus. & inscript.* add. *l.* 5. §. 4. *C. ad L. Jul. d. adult. l,* 15. *in pr. ff. Qui & à quib. manumiss. liberi non fiunt.* Unde ex eo tempore, quo primum quis de ineunda factione ac societate consilium cepit, nullius momenti sunt emancipationes, dotes, donationes, manumissiones, & denique quarumlibet rerum alienationes, cum quicquid ab ejusmodi debitore alienatur, videatur in fraudem fisci alienari, quem scire debebat propter crimen commissum se habiturum esse successorem. *l.* 45. *ff. d. jure Fisci.* Ungepaur. *Exercit. justin.* 16. *qv.* 10. Eckolt. *tit. ff. ad L. Jul. Majest.* §. 11. Obstat igitur Regula à nobis sub initium statim

hujus capitis posita quo minus reo criminis perduellionis facultatem offerendi ac deponendi concedere valeamus, imprimis quia hæc depositio plenam parit liberationem, & tantum operatur, ac si realiter & naturaliter pecuniam creditori annumerasset debitor. Hug. Donell. *lib.* 16. *Comment. cap.* 14. Nicol. Boër. *decis.* 124. *n.* 22.

Th. 7. Manet hinc firmum quod iis tantum debitoribus hæc offerendi ac deponendi facultas competat, qui liberam rerum suarum habent administrationem. Nihil autem interest, utrum ipsi debitores deponant, an vero aliorum opera vicaria utantur. *arg. pr. J. quib. mod. toll. obl. l.* 23. *l.* 40. *l.* 53. *ff. d. solut.* Sicuti enim nihil refert ipsi solvant debitores principales, an alius eorum nomine. Franciscus Vivius *libr.* 4. *decis.* 516. *n.* 22. Surd. *lib.* 1. *decis.* 118. *n.* 2. ita perinde quoque est, utrum debitum offerant atque deponant ipsi debitores, an alii, dummodo & hoc ipsorum fiat nomine. Potest hinc procurator speciali instructus mandato, vel cui negotiorum omnium commissa est administratio, sicuti recte solvere, ita & debitum offerre atque deponere *arg. c.* 72. *d. R. J. in 6to* vid. Francisc. Munnoz. ab Escobar. *de Ration. administr. cap.* 23. ubi multa notabilia de solutionibus ab administratoribus factis tradit Schulz. toties citato *tr. c.* 2. *n.* 2. Id quod & in tutore atque curatore procedit *arg. l.* 5. §. 1. *ff. d. admin. tutor.* Imò & planè extranei, etiam ignorantibus atque invitis debitoribus principatibus. §. 5. *I. quib. mod. toll. obl. l.* 53. *l.* 23. *ff. d. solut.* solenniter debitum offerre atque deponere, sicque obligationem dissolvere valent. Sichard. *ad l.* 9. *C. d. solut. n.* 12. cum naturalis simul & civilis ratio alterius vel absentis, vel etiam dissentientis meliorem nos facere posse conditionem, patiatur. Barnabas Brissonius *d. solut. lib.* 1. *p.* 7. Unde minus rectè sentit Donell. *lib.* 16. *comment. Jur. Civil. c.* 13. *p.* 679. *n.* 30. statuens, ad id ut liberetur debitor requiri, ut ipse debitum deponat, alium verò, quamvis debitoris id præstet nomine, recusante creditore nihil agere. Rationem vero sui asserti ponit in eo, quod debitor plerumque hac depositione per modum exceptionis liberetur, quam per alium acquiri posse negat. *per l.* 1. *C. per quas person. nob. acqv.* Verum quam infirmo hæc Donelli opinio stet talo, ex infra dicendis cap. scil. 4. ubi, an depositio solennis ipso jure liberet ab obligatione, an vero exceptionem saltem pariat

ac-

accuratè dispiciemus. Putamus namqve hypothesin hanc non habere *παντὶ τῷ ὄντι*, unde & hanc sententiam refutat Schulz. *d. l. n.* 3. neque & illud adeo simpliciter procedit, quod videlicet alteri per alterum exceptio non acquiratur; fallit enim & hoc haud paucis in casibus, inter quos casus exceptos si verum esset Donelli suppositum, & hic reponi posset. *arg. l.* 9. §. 8. *ff. d. R.* C. Denique ei quod dictum, quod extraneus etiam ignorante & invito debitore debitum offerre ac deponere possit, non officit, (1) id quod communiter objici solet; invito beneficium non dari, & sic neq; invito debitore pro eo aliquem debitum deponere posse. *l.* 69. *ff. d. R.* Variè enim hanc Regulam Dd. limitare solent; & *primo* quidem limitat eam Eckolt. *tit. ff. d. solut. & liber.* §. 4. *h. m.* invito beneficium non datur, formaliter, si scilicet illud recuset, materialiter tamen omnino ei datur, præsertim si illi sit utile. *Secunda* limitatio hæc est: Invito beneficium non datur eique nihil acquiritur principaliter, multa vero per consequentiam Donell. *lib.* 12. *cap.* 16. & Bart. *ad l.* 39. *d. negot. gest.* qui ibi in terminis notat per quandam consequentiam posse invito conferri beneficium add. Brisson. *lib.* 1. *d. solut. p. m.* 7. Bachovius *in not. ad Treutl. V.* 2. *D.* 29. *Th.* 3. *Lit. B.* Freyer. *d. tr. cap.* 2. *n.* 37. *Tertio* deniqve limitat atque restringit regulam hanc Dn. Struv. *in Evol. Ex.* 46. *Th.* 70. dicendo eam pertinere solum ad beneficiã, quæ solum dependent ab acceptione ejus, cui dantur, non ubi etiam adest juris necessitas, seu ipsa legis operatio, aut tertii concurrit utilitas. Neque putandum vanam atque otiosam esse hanc quæstionem an quis pro invito debitore deponere possit, cum in corrupto hoc seculo Christiana charitate imprimis frigescente pauci reperiantur, qui rogati pro aliis solvant, nedum pro ignorantibus atque invitis. Etenim reperiruntur interdum nonnulli, qui vel necessitate coacti, vel benevolentia adducti, vel alia ratione moti ignorantes atque invitos beneficiorum suorum faciunt participes. Freyer. *d. l.* Sed nec (2) obstat, quod extranei, qui pro invito deponit, nihil intersit pro debitore deponi eum, audiendum autem non esse, qui petit aliquid fieri, quod, ut fiat, ejus nil interest *arg. l.* 13. *pr. ff. d. re jud.* potest enim omninò ejus interesse, & licet non pecuniariter, tamen ex affectione, eo modo quo Papinianus dixit: beneficio affici hominem interesse hominis,

 l. 4.

l.7.in f. ff d. serv. export. l. 54. §. 1. ff. d. furt. quod interesse affectionis & utilitatis satis esse videtur, ut admitti debeat quivis extraneus de debitore liberando, sive alterius injuria solicitus. Ultimo demum loco sicco pede prætereundum nobis non est, ipsum Donellum sibi contradicere atque contrarium esse, dum expresse nostram arripit sententiam *in comment. ad C. in l. 19. d. usur. n. 7.* ibi *sed tamen, si pro debitore offerat idem juris erit &c.*

Th. 8. Expositis personis per quas fieri potest depositio, paucis agemus nunc de iis quibus offerri possit debitum, cum depositionem necessario præcedere debeat ejusdem oblatio. Recte igitur offertur debitum cuivis creditori, cui ex obligatione res debetur, quoniam ei quoque recte & cum effectu solvi potest. *§. 5. vers. plane I. d. inutil. stipul l. 9. l. 10. & seqq. l. 95. §. 5. l. 98. §. 4. ff. d. solut.* Zanger. *d. tr. d. Except. p. 3. c. 1. n.* 121. Schultz. *d. l. n.* 6. Quamvis vero extraneus pro invito debitore offerre, deponere, atque solvere possit, minus recte tamen extraneo offertur aut solvitur. *arg. l. 39. ff. d. neg. gest.* in hoc enim casu de odio creditoris agitur, cum in priori favor ipsius respiceretur, nisi nolente mandanteque creditore *arg. l. 49. ff. d. solut.* Zanger. *d. l. n.* 114. ut cum procuratori generali vel ad hoc speciale mandatum habenti offertur, ubi tamen notandum, si ejusmodi procurator oblatam pecuniam accipere recusat, tutius facere debitorem, si ipsum creditorem absentem ad videndum deponi citari curet, qua de re suo loco. Excluditur tamen hic procurator ad litem solum constitutus cui minus recte offertur *arg l. 86. ff. d. solut.* ratio, quia aliud est mandatum solutionis accipiendæ, aliud vero actionis exercendæ *l. 1. pr. ff. d. pact.* Aliud autem dicendum de procuratore in rem suam, qui communiter cessionarius dici solet, is enim domini loco habetur, *d. l. 13. §. 1. ff. d. pact.* A supra vero posita regula excipiuntur ii creditores, quibus bonorum suorum administratio adempta est, quales sunt; furiosus, prodigus, pupillus, minor, quibus sine tutorum vel curatorum autoritate minus recte offertur, *arg. §. f. I. quib. alien. lic. vel non l. 14. l. 15. ff. d. solut.* unde tutius atque consultius facit debitor pupillaris si vel decretum seu sententiam judicis expectet, vel pecuniam obsignatam solenniter apud judicem deponat, quo casu plenissimam consequetur liberationem. Vid. Carpz.

p. 2.

p. 2. *c.* 11. *d.* 47. Illud quoqve de jure Saxonico peculiare est, quod rectè non offeratur debitum mulieri sine consensu mariti vel alterius curatoris, sunt enim de hoc jure mulieres in perpetua cura maritorum suorum, qui propterea nostro ideomate vocantur die Ehvögte/ Manz. *ad* §. 19. *I. d. excus. n.* 17. vel si maritum non habent, alterius curatoris consensu indigent, cum consensus curatoris ad negotium quod à muliere geritur, pro forma & substantiali solennitate requiratur, in tantum, ut eo omisso illud ipso jure nullum sit. Coler. *p.* 1. *decis.* 67. *n.* Carpz. *p.* 2. *c.* 11. *d.* 1. *n.* 7. Pro meliori vero intellectu ejus quod de muliere dictum, bene distingvendum hic inter Jus Saxonicum commune & Electorale. Illo enim jure innuptæ fœminæ etiam sine curatoris consensu debitum offerri atque solvi potest: nuptæ vero non aliter, quam consensu curatoris accedente. Pingizer. *Qv.* 33. *n.* 11. Rauchbar. *lib.* 1. *qv.* 32. *n.* 30. Hoc vero inter fœminam nuptam vel innuptam vix distingvitur, per ea, quæ tradit idem Carpz. *l. c. d.* 1. *n.* 3. add. Magnif. Dn. Müllerus *in Jurispr. Elem. D.* 42. *th.* 3. *lit. f. in not.* Objectionem huc spectantem proponit atque diluit Carpz. *l. c. d.* 3. *n.* 4. quam apponere chartarum prohibent angustiæ, properandum enim nobis relicto subjecto ad depositi juris objectum.

Th. 9. Quænam res depositi juris objectum constituant, solenniterqve & ad effectum liberationis deponi possint, non adeò manifestum est, cum omnes huc pertinere videantur, quæ alias sub contractum depositi cadunt, cadunt autem sub illum res tam mobiles, quam immobiles per ea quæ tradit Dn. Müllerus *in cit. Jurisprud. Elem. D.* 37. *th.* 24. *lit. n. in not.* ast leges de hoc deposito nostro quæ agunt, pecuniæ tantum faciunt mentionem *l.* 6. *C. d. usur. l.* 19. *C. eod. l.* 9. *C. d. solut.* Unde eam solum hujus loci esse videtur. Verum sciendum pecuniæ vocabulum esse ex eorum numero, quæ multifariã accipiuntur, sumitur enim illud, (1 *latè* & complectitur omnia ea, quæ sunt in patrimonio nostro. *l.* 5. *ff. d. V. S.* ibiq; Göddæus, sive res sint corporales, sive incorporales, sive mobiles, sive immobiles. *l.* 178. *l.* 222. *ff. d. t.* (2) *strictè,* & denotat ea, quæ pondere, numero, & mensura constant ut *in l.* 30. *pr. d. leg.* 1. *l.* 2. §. 1. *ff. si cert. pet.* (3) *strictissimè* & exprimit numeratam pecuniam seu monetam *l.* 22. *ff. d. t.* vid. Carpz. *p.* 3. *C.* 13. *d.* 34. *n.* 3. *& seqq.* Quod igitur primam concernit significationem

tionem, ea ex parte hic exulat, res enim immobiles genuinum hujus depositi objectum non sunt, cum illæ obsignari nequeant; ast omnem depositionem regulariter obsignatio antecedere debet. Propter eandem rationem removentur quoque ab hoc solenni deposito res debitæ incorporales, quæ tangi & sic neque obsignari aut deponi possint, quamvis verbaliter offerri queant. Secunda igitur & tertia acceptio magis huc quadrat, ita tamen, ut quoad res mobiles admittatur etiam prima. Sunt tamen quoque quædam res mobiles, quæ quamvis offerri, non tamen debito modo obsignari possunt, unde & illæ huc non spectant, non attento, quod Neguzant. *tr. d. pignor. & hypoth. part. pr. 5. membr. 3. part.* 1. ex Angelo *ad l. si mora ff. solut. matrim.* referat, omnes res sive mobiles sint, sive immobiles, item animalia solenniter obsignari & deponi posse. Sole enim meridiana clarius est, eas res quæ omnia hujus nostri depositi requisita non recipiunt, nequaquam huc referri posse, sed omnes res immobiles, nec non quasdam ex mobilium numero tales esse sat clarè probari potest. vid. Donell. *in Comment. ad jus Civil. lib.* 16. *p.* 689. *lin.* 30. Paulus d. Castro *ad l.* 19. *C. d. usur. n.* 7. & 8. Quæstionem verò an in animalibus realis oblatio, & in immobilibus verbalis loco depositionis sit liberetque debitorem statim ab obligatione, tractat Brunn. *ad. d. l.* 19. *n.* 6. ubi negativè eam resolvit, & Schultz. *d. tr. c.* 8. *n.* 2. & 4. ubi tunc demum liberari debitorem harum rerum affirmat si illæ absque ejus dolo, aut lata culpa perierint *per N.* 91. *c. f. d. l. si mora ff. solut. matrim.* Et hæc quoque de objecto nobis hac vice, dicta sufficere possunt, festinandum hinc ad

Caput III.

De Forma Depositi Juris.

Th. 1.

Forma hujus nostri depositi consistit in observatione solennitatum à legibus præscriptarum, fieri enim depositio debet legitimo modo,

do,

do, & ut Diocletianus loquitur *l. 9. d. solut. l. 10. in f. C. d. pign. act.* solenniter, quo susque deque habito, ea liberationem haud parit, nec cogitur creditor accipere pecuniam, sed ac si nulla unquam facta esset depositio, nihilque à debitore actum, condemnari is adhuc potest, & ad solutionem urgeri, salva tamen ei depositæ pecuniæ repetitione. Carpz. *p. 2. c. 28. d. 16. n. 1.* paria namque sunt, plane non fieri, & non legitimo modo fieri. *l. 6. ff. qui satisd. cog. l. 3. ff. d. auctor. tutor.*

Th. 2. Ut igitur legitima atque solennis sit depositio debita sunt observanda requisita, illa enim, quæ a legibus ad validitatem alicujus actus requiruntur sub pœna nullitatis omitti nequeunt. D. Struv. *S. I. C. Ex. 1. th. 58. n. 3. Ex. 2. th. 15.* Primum igitur requisitum, quod legitimam efficit depositionem, est, ut eam præcedat *oblatio rei debitæ realis* Eine wirckliche *offerirung. d. l. 9. C. de solut.* nec enim obsignatio aut etiam depositio aliter utilis est, quam si eam præcesserit oblatio *l. 2. C d. Usur.* Vincent. Caroc. *de oblat. q. 7. n. 1. p. 355.* Cravett. *part. 3. Cons. 502. n. 13.* consentit Preusch. Landrecht *l. 4. t. 4. a. 4.* §. 1. Quid autem sit realis oblatio exponit Schultz. *d. tr. cap. 4. n. 2.* Scilicet realiter offerri dicitur pecunia, non quando debitor cum pomposa nihilque habente in recessu, verborum sermocinatione se ad solvendum paratum esse affirmat, sed si pecuniam aut aliam rem debitam creditori realiter repræsentat, simulque ostendit se ad tradendam pecuniam vel rem debitam creditori esse paratum, si illam recipere velit. Exemplis res fiet clarior. Sic si species aliqua debetur ea tunc recte offerri dicitur, cum paratus est debitor eam de manu in manum tradere. Si verò pecunia debetur, ea tunc offerri intelligitur, si eam debitor ad creditorem perfert, & annumeratam eidem repræsentat, id quod vel etymon vocis oblationis manifestat. vid. Bart. *in l. 20. §. 5. ff. d. oper. nov. nunc.* ubi dicit, quod omnes in universum leges, quæ volunt debitorem ad solvendum paratum esse debere, ita intelligi debeant, quod debitor debeat ire cum denariis in manu, alias enim dici non posse eum obtulisse. Actus enim realis nudis verbis non perficitur, & ubi res ipsa requiritur verba non sufficiunt. Rem ulterius illustrabimus responso Facultatis Juridicæ Witteb. d. 31. Jan. anno 1625. ad consultationem des Raths

zu W. lato, cujus meminit Schultz. *l. c.* estque sequens: Ob wohl der debitor vorwendet/ Er habe umb benente Zeit zu unterschiedenen mahlen seinem creditori die schuldigen 100. fl. angebothen; demnach aber und dieweil solches nicht würcklich geschehen/ vielweniger das Geld gebührlich deponiret worden/ so ist Er auch berührte 100. fl. mit izo gangbahren Müntze zu bezahlen pflichtig. V. R. W. Quod autem supra dictum pecuniam debitam tunc ritè oblatam intelligi, si eam debitor annumeratam creditori repræsentaverit, hunc habeat sensum. Non sufficere scilicet, ut debitor pecuniam habeat in marsupio, sed præterea requiri, ut eam ex marsupio extrahat, coram testibus numeret, & postea rursus in marsupium, si creditor eam recipere recuset, recondat. Caroc. *d. l. n.* 2. oblatio enim in sacculo & folle, uti ajunt, nihil operatur. Ratio autem (1) est, quia alias non constaret quid esset oblatum, cum posset dubitari, an non loco pecuniæ aliud habeat in marsupio debitor ad vexandum creditorem. Roland. à Valle *consil.* 52. *n.* 36. *lib.* 1. Scacc. *d. commerciis & camb.* §. 2. *gloss.* 5. *n.* 155. (2) quia non constaret quantum sit oblatum, possetque dubitari utrum totum debitum, an verò pars saltem ejus, quam regulariter creditor accipere non tenetur, sit in marsupio. Schultz. *d. l. p.* 88. ad. Menoch. *d. A. I. Q. lib.* 2. *cent.* 3. *cas.* 232. §. 20. *vers. ea est hujus.* Dantur tamen quamplurimi casus excepti, in quibus nuda verbalis sufficit oblatio, quorum (1) est, si creditor expressis dicat verbis se nullatenus recipere velle debitum. Freyer. *d. solut. cap.* 7. *memb.* 7. *n.* 201. D. Richter. *part.* 2. *decis.* 75. *n.* 8. add. Franc. Vivius *comm. opin.* 557. *n.* 5. *lib.* 2. Sufficit enim tunc, debitorem verbotenus saltem obtulisse debitum. (2) est, si peregre absit creditor. (3) Si sui copiam non faciat, & malitiose latitet. Briston. *d. tr. d. solut. lib.* 2. *p. m.* 117. (4) si incertus sit debitor, quantum pecuniæ summam debeat, veluti, si fuerit debitor ex tutelæ administratione vid. omnino Schultz. *d. tr.* c. 8. *per tot.* ubi fusius de casibus exceptis agit.

Thes. 3. Secundum requisitum est, ut totum offeratur debitum, ne nummo quidem deficiente. *l.* 122. ibi *integram summam l.* 125. §. 2. *ff. d. V. O.* Freyer. *d. l. n.* 202. Schultz. *d. tr. c.* 4. *n.* 3. Unius enim obligationis unam eandemque indivisam esse oportet solutio-

tionem, & solutio particularis non minima habet incommoda *l. 3. ff. fam. herc. Hottom. Quæst. illustr.* 22. cum multis facile implicari posset molestiis atque difficultatibus creditor, si creditum distinctis terminis & particulatim accipere adstrictus esset; quibus illum affici iniquissimum sanè videtur, cum ex natura obligationis ipsi jus solidum persequendi sit acquisitum. Consentit Preuss-Landr. *l. c. ibi, integram sortem.* ad leges vero obstantes respondet Schultz. *d. l.* qui videatur. Ampliatur vero hæc nostra positio, ut non solum totum debitum principale die hanpt Summa sed & interesse, seu usuræ simul sint offerendæ, adeò, ut si modicum de sorte, vel usuris desit planè nulla atque inutilis sit oblatio eamque creditor recipere nullo modò sit obstrictus. *d. l. 135. §. 2. ff. d. V. O. l. 6. l. 19. ibique Brunn. n. 2. C. d. usur.* add. Menoch. *d. A. I. Q. cas.* 232. *n.* 22. Tiraquell. *d. Retract. Convent. §. 4. Gl. 4. ex. 6.* accessorium enim sequitur naturam sui principalis. *arg. l. 129. §. 1. ff. d. R. I.* Unde Gœdd. *d. Contr. stipul. cap.* 12. *concl.* 4. *n.* 36. ex Tiraqv. notat quod & unius nummi defectus totam oblationem & depositionem corrumpat, si dolo vel fraude a sciente omittatur, secus si errore vel ignorantia facti *per l. 32. ff. d. condit. & demonstr.* Sicuti autem particularis solutio in quibusdam casibus locum invenit, ita quoque particularis oblatio nonnunquam sufficere potest, quorum aliquot saltem recensebimus. *Primus* itaque est, si debitum non omni ex parte sit liquidum, tunc enim solius partis liquidæ oblatio sufficit, id quod maximè procedit, si pro residuo fidejussor offeratur, Pacius *ad l. 19. n. 5. C. d. usur.* Dn. Koppen. *decis.* 34. *n.* 9. D. Richter. *p. 2. decis.* 75. *n.* 16. & 17. Carpz. *lib. 5. Responsf. 99. n. 8. & trib. seqq.* *Secundus* casus est, si ab initio ita convenerit, ut particulatim solvi liceret, cujusmodi conventioni quin standum sit, dubium nullum est, cum pacta dent legem contractui. *l. 10. C. d. pact. l. 1. §. 6. ff. depos.* & quæ ab initio sunt voluntatis ex post facto fiant necessitatis. *l. 17. §. 3. ff. commod. l. 21. §. 2. ff. d. neg. gest.* vid. Zanger. *d. Except. part. 3. cap. 2. n. 27.* Donell. *l. 16. comm. cap. 13. §. pro creditore, sub fin.* *Tertius* est, si debitor belli calamitate ad incitas fuerit redactus, sicque unde vivere possit vix ac ne vix quidem habeat. Ipsa enim æquitas svadet ex æquo & bono potius, quam ex stricta juris ratione cum ejusmodi debitore proce-

dendum esse, id quod & confirmat novissimus Recessus Imperii d. anno 1654. §. So viel nun / ibi soll dem debitori frey stehen die Capital-Summa particulariter &c. Dummodo creditor habeat unde se suamque familiam sustentare possit. vid. Manz. *in Patrocinio suo, debitorum calamitate belli depauperatorum*, ubi non minus laxo, quam accurato hac de re tractat stylo. Plures vero casus exceptos, qui scire gestit evolvat haud gravatim toties citatum Schultz. *d. l.*

Th. 4. Tertium reqvisitum est, ut offeratur atque deponatur pecunia proba, in eadem bonitate seu qvalitate qvæ fuit tempore contractus. *l. 3. ff. d. R. C. l. 69. ff. d. Contr. Empt. c. olim causam* 20. *c. cum Canonicis* 26. *sub fin.* X. *d. censib. exaction. & procurat.* add. Menoch. *d. A. I. Q. lib. 2. cas.* 232. *n.* 24. Excluditur hinc pecunia reprobanda seu removenda so auf dem Sprunge stehet / und bald abgesetzet werden soll, quia pari ambulant passu pecunia remota & mox removenda. *l. 24. §. qui reprobos & ibi. DD. d. pign. act.* & quia pro pecunia reprobata habetur, quæ de proximo reprobanda Gabr. Roman. *lib. 3. d. solut. & liber. concl.* 2. *n.* 24. D. Richter. *p.* 2. *decis.* 73. *n.* 10. qui & *n.* 11. tradit, quod si creditori ignoranti debitor solvat pecuniam, quæ passura est diminutionem, solventem eam supplere debere secundum valorem contractus, juxta doctrinam Bart. *in l. 17. ff. d. usur.* & ita pronunciasse JCtos Jenenses affirmat *ibidem.* Rationem vero hujus asserti ponit Schultz. *l. c. n.* 7. in eo, quod is, qui mutuatur pecuniam propterea eam accipiat, ut statim eam expendat & in suos convertat usus, sicqve eandem reddi in ea bonitate æqvum sit, qua ad manus debitoris pervenit, inqve ejus utilitatem expensa. Et hanc conclusionem locum habere tradit idem *n.* 8. sive bonitas monetæ extrinseca mutata fuerit; da der Werth verändert / versteigert / oder geringert / sive intrinseca, wann Korn / ipsa materia, und Schrot / pondus an der Müntze gemindert wird / h. e. exponente Philippi. *Us. Inst. Pr. l. 3. ecl.* 39. *n.* 9. Wann die Thaler oder Goldgülden an der Feine schlechter / oder an Gewichte geringer werden. In utroqve enim casu secundum eam bonitatem facienda est oblatio, atqve depositio pecuniæ creditæ, quam habuit tempore contractus, cum ea sit natura mutui, imò & pro forma ejus desideretur, ut nummi crediti in eadem reddantur bonitate & qualitate, qua

dati

dati sunt. *d. l. 3. ff. d. R. C.* cui sane consequens, quod mutata bonitate monetæ, secundum valorem pariter & qualitatem materiæ, quæ fuit tempore contractus creditum exsolvi debeat, cum hoc modo neque creditor neqve debitor habeat de quo conqueri possit, quia ille minus, quam dedit, non recipit, hic vero plus, quam accepit, non solvit. vid. Carpzov. *p. 2. c. 28. d. 4. & 5.* Brunn. *ad l. 1. & 2. C. d. Veter. numism.* Schultz. *in Synops. p. m. 775. lit. a.* ibiqve D. Bejer. *in not.* ubi integram hanc doctrinam solidissime tractat. Nobis hac vice sufficiat responso nostram comprobasse sententiam. Secundum ea igitur, quæ diximus, quod ad contractum emptionis venditionis attinet, responsum fuit in Dicasterio Wittebergensi die 6. Febr. anno 1624. ad consultationem G. M. his verbis: Ist von vielen Jahren ein Kauff nach schweren Gelde geschehen/ob nun gleich die Erbe-Gelder in Zeit wehrenden neuen Geldes an dergleichen hinterleget/und dabey sonsten die dißfals erforderte Solennitäten allerdings observiret/so ist man doch dahero das neue Geld/da es an verschriebener Müntze nicht hinterleget/und deponiret, anzunehmen unverbunden. V. R. W.

Th. 5. Quarto necessario quoque requiritur, ut oblatio depositionem præcedens fiat opportuno tempore *l. 39. vers. quid enim ff. d. solut.* Roland. à Valle *consil. 53. n. 39. lib. 1.* Freyer. *d. tr. & loc. n. 20.* nec non opportuno loco. *l. 32. ibi opportuno loco ff. d. usur. d. l. 39. d. solut.* ibique Bartol. D. Richter. *d. decis. 75. n. 18.* Si enim non opportuno tempore fit oblatio, creditor oblatum accipere non tenetur, & perinde est, ac si nunquam ea facta fuisset *arg. l. 6. ff. qui satisd. cog.* Jus & fas namque volunt, ut id quod debetur congruo quoque tempore solvatur, sicut enim plus solvisse dicitur, qui maturius, ita & minus, qui tardius, solvit, Reusner. *consil. 3. n. 30. v. 2.* & , ut recte ait, Scacc. *d. tr. d. camb. §. 1. Qu. 7. p. 1. n. 76.* melius est habere hodie ovum, quam cras gallinam, vel secundum Accurs. melius est unum tene, quam centum cape. Determinandum vero hic ante omnia, (1) quid sit tempus inopportunum. (2) quid locus non congruus. Tempus igitur inopportunum dicitur non solum si alio, quam quo conventum, aut debetur, tempore offeratur, v. g. si ante diem vel post diem fiat oblatio, sed & si creditori sacra facienti, nuptias celebranti, funus fami-

 liare

ſiare ducenti, juſtave mortuo facienti, quis offerre debitum eique moleſtias creare conetur. Item non opportuno tempore fit oblatio die feriato, ubi ſacris vacare neceſſe, & divino cultui, quis inſervire debet, idem ſi nocturno tempore fiat oblatio. Schultz. *d. l. n.* 22. Id verò, quod dictum, inopportuno tempore fieri oblationem, ſi ante diem ea fiat, intelligendum eſt h. m. ſi ſcilicet tempus ſolutionis creditoris gratia tantum fuerit adjectum; vel creditoris & debitoris ſimul, idem ſi convenit, ut denunciatio juſto tempore fiat, Hahn. *ad Weſ. tit. d, ſolut. n.* 5. add. D. Richter. *p.* 2. *d.* 73. *n.* 8. Berlich. *p.* 1. *deciſ.* 154. tunc enim ante diem invito creditore haud fieri poterit oblatio, id quod evincitur ex *l.* 122. *ff. d. V. O. l.* 15. *pr. ff. d. ann. leg. l.* 43. §. 2. *ff. d. leg.* 2. vid, Mantic. *d. tacit. & ambig. convent. lib.* 14. *tit.* 40. *n.* 6. Carpz. *p.* 2. *c.* 28. *d.* 12. quod ſi enim dies debitoris ſolum gratia adjectus, id quod regulariter fieri ſolet, *l.* 17. *ff. d. R. I.* poteſt oblatio etiam ante diei exiſtentiam rectè fieri, cum quilibet poſſit favori pro ſe introducto renunciare, quam ſententiam juvat *l.* 70. *l.* 98. §. 4. *ff. d. ſolut. l.* 35. §. 16. *ff. d. V. O. &c.* add. Donell, *ad l.* 41. *n.* 46. *ff. d. V. O.* Magnif. Dn. Müllerus *ad d. l.* 17. *ff. d. R. I. exempl.* 3. Preuſch-Landr. *lib.* 4. *tit.* 21. *a.* 1. §. 7. Et juxta hanc ſententiam pronunciare ſolere JCtos Jenenſes & Lipſienſes, notat D. Richter. *p.* 2. *deciſ.* 73. *n.* 4. & Carpz. *p.* 2. *c.* 28. *d.* 11. *n.* 7. ubi reſponſum refert tale: Ob nun wohl das Darlehen auf 3. Jahr lang geſchehen / derowegen ihr die Wiederzahlung vor ſolcher Zeit nicht gemeinet / dieweil dennoch gedachte Zahlungs-Friſt der Schuldnerin zum beſten angeſetzet / und dahero vor ſolcher Friſt Ihr die Zahlung zu leiſten unbenommen ꝛc. So mag auch mehr berührte Schuldnerin angeregte Schuld biß zu Endigung der dreyen Jahr inne zu behalten nicht gedrungen werden / ſondern Ihr ſeyd die Zahlung unangeſehen / daß die drey Jahr noch nicht verfloſſen von Ihr anzunehmen ſchuldig. Bene tamen hic attendenda doctrina Zaſii Caſtrenſis & Alexandri d. Imola notante laudato Dn. Müllero *l. c.* quod ſcilicet procedat hoc tunc demum, ſi ante diem ſoluturus ſimul offerat id, quod intereſt, & futuras quoque uſuras usque ad deſtinatum diem ſolutionis, dummodo uſuras ſtipulatus ſibi fuerit creditor. vid. Richter. *l. c. n.* 5. Quod locum concernit opportunum

ac

ac congruum, imprimis hic attendendum, an locus solutioni faciendæ appositus sit, vel non. Priori casu rursus considerandum, an locus sit adjectus expresse, an verò tacite saltem, quod si prius, conventioni partium, sive species certa sive pecunia solvenda fuerit promissa, omnino erit standum, adeo, ut debitori alio in loco offerre ac solvere integrum non sit. *l.2.§.7.l.pen.ff.d.eo quod cert.loc.* add. Vigel. Rich. et. Büchl. *cent.1.cas.74.* Ratio hujus rei consistit cum in conventione tum in commoditate creditoris, qui sui commodi ergo, ejusmodi locum elegit. Cum igitur iniqvum sit mutare consilium suum in alterius injuriam *l.75.ff.d. R.J.* sequitur debitorem alio, quam destinato loco offerre debitum non posse. Posteriori verò casu in loco contractus fieri potest oblatio Eck. *tit.d.solut. §.4.* locus autem contractus quis sit, docet *l.21.ff. d.O. & A.* add. Freyer. *d.tr.c.6.n.12.* ubi responso rem declarat. Denique si locus nullus adjectus, distingvitur inter debitum gratiosum & onerosum; nam, quod illud concernit potest fieri oblatio debiti in loco domicilii ipsius debitoris, ut si alicui legata esset certa olei aut vini mensura, potest legatum offerre hæres debitor eo in loco ubi habitat, dummodo domicilium habeat in loco ubi testator vixit. vid. Brunn. *ad l. 38. & 50. ff. d. judic. n.2. & ad l. 47. ff. d. leg.* 1. ubi quid in præstanda re legata obtineat solide exponit, legata enim regulariter ibi sunt præstanda, ubi relicta. *dd. txx.* id quod tamen limitatur in legato studiorum causa relicto, illud enim secundum doctrinam Bartol. *in l. 42. §. 1. ff. d. t. d. jud.* nec non Simon. *de Prat. de interpret. ultim. volunt. lib.4. dub.11. interpr.* 1. *n.*198. præstandum eo in loco ubi legatarius operam studiis navat. add. Freyer. *l.c. n.* 22. quod verò ad debitum non gratiosum, sed merè onerosum attinet, quale est, debitum ex mutuo, adstrictus est debitor regulariter adire creditoris domum, ibique offerre debitum Dn. Struv. *S.I.C.Ex.47.th.75.* Freyer. *l.c.* n. 23. aliique ab eo ibid. citati. Plures huc spectantes fallentias ac limitationes vide apud Schultz. *d. tr. cap.*4. *n.* 20. qui p. m. 251. utilissimam illam proponit quæstionem, quam summis digitis saltem attingere placet. *Quid juris scilicet si in diversis locis diversus sit valor monetæ, alius videlicet in loco domicilii debitoris vel contractus, alius verò in loco destinatæ solutionis, secundum cujus loci valorem oblatio ac solutio fieri*

ri

ri debeat? Respondet verò veriorem esse sententiam, oblationem fieri debere in illa moneta, & in illo valore, qui currit in loco destinato solutioni, unde & multis JCtorum Responsis hanc suam sententiam confirmat. add. Brisson. *d. solut. lib.* 1. *p.* 53. Bart. *ad l.* 18. §. *ult. ff. d. constit. pec.*

Th. 6. Quinto requiritur ut fiat oblatio rei debitæ testato, h. e. in præsentia testium *l.* 6. ibi *testibus præsentibus l.* 19. *C. d. usur.* ibique *Brunn. n.* 2. add. Neguzant. *de pign. p.* 5. *m.* 3. *p.* 2. *n.* 2. Zanger. *d. Except. p.* 3. *c.* 2. *n.* 77. & quos citat Schultz, *d. tr. cap.* 4. *n.* 26. Ratio, cur testibus præsentibus præcise hæc oblatio fieri debeat, est, ut debitor probare valeat adversus inficiantem creditorem (1) totam summam, (2) monetam probam, neque reprobatam jam, aut mox reprobandam esse oblatam Zanger. *d. l. n.* 78. Freyer, *d. tr. & loc. n.* 209. Schültz. *d. l.* ubi idem quoque de jure Saxonico requiri affirmat *per. tx. in* Landr. *l.* 1, *a.* 56. sub fin. vers. des soll. ibi des soll Er aber gezeugen haben an zweyen Mannen. Jus Prutenicum quidem testium in oblatione creditori facienda adhibendorum *l. c.* non facit mentionem, puto tamen neque de hoc jure illos omitti posse, cùm alias facile negare posset creditor oblationem unquam factam fuisse, aut debitè aut legitimè fuisse factam. Cùm verò testes probationis ergo adhibeantur dubitatur, *quid faciendum debitori, si testes adhibiti diem obierint supremum, vel etiam absentes sint, ita, ut eorum copia haberi nequeat, an tunc, super hac oblatione realiter facta juramentum deferri possit creditori?* affirmat quæstionem Schultz *d. l.* tam de Jure Civili propter textus generalitatem *in l.* 34. §. 6. *l.* 35. *l.* 38. *ff. d. jurejur. l.* 25. §. 3. *ff. d. probat*, quam de jure Saxonico per textum in Landr. *lib.* 1. *art.* 6. *vers.* Ob der Mann. ibi Er solte bekennen oder leugnen/und dafür schweren. ita tamen, ut liberum sit creditori referre juramentum debitori deferenti. Coler. *decis.* 122. *n.* 9. qui ibi hunc in modum à Scabinis Lipsiensibus pronunciatum fuisse testatur. Procedit tamen hoc quod de delatione juramenti dictum cum quodam temperamento, scilicet tunc demum ei locus est, si intentatus fuerit processus ordinarius, nam si executive ex instrumento gvarentigiato egerit creditor, Wenn Er auf klare Brief und Siegel geklaget/exceptio oblationis locum non habet.

In-

Instrumenta enim gvarentigiata paratam operantur executionem, würcken die schleunige Hülffe/neque exceptiones altioris indaginis & ulterioris inquisitionis admittunt, sed ad executionem, reservata reo reconventione, proceditur. vid. Philipp. *U. I. Pr. l. 3. ecl. 56. n. 1. & lib. 4. ecl. 58. n. 1.*

Th. 7. Sequitur nunc sextum requisitum, quod in eo consistit, ut scilicet, si creditor absque justa causa solutionem accipere recuset, fiat judicialis obsignatio & depositio apud competentem judicem; competens autem judex est judex proprius debitoris *c. 17. X. d. for. compet.* nisi solutio in loco creditoris vel alio certo loco sit destinata. Unde (1) citandus est creditor ad recipiendum vel videndum deponi. Preusch-Landrecht *d. l. §. 2. pr.* imo si plures sunt interessati omnes citari debent. Caroc. *d. oblat. part. 2. qv. 3. p 373. init.* & ex eo Freyer. *l. c. n. 211.* Ratio est, quia ad omnem actum citandus est is, de cujus agitur præjudicio, *Dd. communiter per l. 47. ff. d. re jud.* unde in tantum hæc citatio necessaria, ut ea omissa totus actus depositionis nullus reddatur, ea enim, quæ pro forma requiruntur ad ungvem sunt observanda sub pœna nullitatis, sicuti jam sub initium hujus cap. innuimus. Volunt tamen, contra Freyer. *d. l. n. 210.* & Schultz. *l. c. n. 28.* citationem esse solennitatem necessariam saltem de jure Saxonico Electorali, non verò de jure communi, cum *in l. 6. C. d. usur. & l. 19. eod.* nulla citationis fiat mentio. D. Richter, *d. lib. 2. decis. 75. n. 24. & seqq.* ubi ita à Dn. Scabinis Jenensibus responsum esse refert, Mens. Sept. Anno 1639. ad quæst. Hansen von Wirth zu Leipzig / ibi: gestalt ohne daß in beschriebenen Rechten nirgent ausdrücklich versehen / daß auch in voluntaria depositione über die oblation, consignation und deposition der vollständigen schuldigen Gelder / so an gehöhrigen Ort und zu rechter Zeit geschehen / noch ferner eine solennis citatio und Ladung erfodert werde / sondern wird dißfals von den Rechts-Gelehrten vor gnugsam geachtet / wenn entweder eine gerichtliche Ladung ad videndum deponi, oder aber nur oblatio pecuniæ, oder nur allein eine schlechte extrajudicialis denunciatio dem creditori sein Geld zu empfahen geschehen und vorgangen &c. De termino verò hujus citationis, an is solennis esse, hoc est de moribus Saxonicis spatium sex septimanarum &

trium dierum in se continere debeat, nec ne, agit toties laudatus Schultz. *d. c.* 4. *n.* 29. *p. m.* 307. *& seqq.* ubi negativam suam facit, ex ratione, quia hæc causa summariter expedienda, celerisque esse debet expeditionis, cum iniqvum sit debitorem pecuniam in promptu habentem, ad eam diutius penes se retinendam & præstandas intermedio tempore usuras obstringi, sicque moram, quæ species culpæ debitori esse damnosam contra expressam *l.* 74. *ff. d. R. J.* Cessat tamen atque fallit id, quod dictum de citationis necessitate, si jussu judicis debitum deponat debitor, & creditor ipse non satisfecerit contractui inter eum & debitorem inito, sicuti hoc responso quodam Facultatis Juridicæ Wittebergensis probat Schultz *d. l. p. m.* 311. *& seqq.* quod ob prolixitatem suam apponere non licuit. (2) Non solum citandus est creditor, sed & eo non comparente, vel comparente quidem, sed solutionem injuste recusante, numeranda est termino præfixo in præsentia judicis pecunia, & numerata in crumenam, saccum aut cistam includenda atque obsignanda. *l.* 1. §. 38. *ff. depos. l. fin. d. L. commiss.* Preussch-Landr. *d. l.* §. 1. *in fin.* Freyer. *l. c. n.* 212. *&* 213. Carpz. *p.* 2. *c.* 28, *d.* 16. *per tot.* Brunn. *ad l.* 19. *C. d. usur.* Klock. *consil.* 39. *n.* 291. Et quidem numeratio necessaria, quia non valet obsignatio, si nec numerata nec ostensa sit pecunia, sed tantum in sacculo & folle, uti loqui amant, deposita: & vergeret numerationis omissio facili negotio in præjudicium ipsius creditoris, cum non constaret, quid & quantum deponeretur. Quod si tamen consvetudo judicii, ubi fit depositio, aliud velit, vel etiam judex numerationem pecuniæ detrectet, ejus omissio debitori damnosa esse nequit, dummodo post factam resignationem appareat eum bona fide, h. e. integram summam in bona moneta obtulisse ac deposuisse. Alii tamen numerationem & præsentiam judicis non de jure communi, sed solum de jure Saxonico Electorali requiri statuunt, cum in jure nostro de ea nihil reperiatur constitutum, nec nostrum sit requisita depositi multiplicare. Ast quod obsignationem concernit, ea nullatenus omitti potest, unde ea non facta totum corruere depositum defendit Schultz. *d. l. p.* 316. qui & *seqq. pag.* temeritatem quorundam judicum eam sub prætextu receptæ consvetudinis intermittentium, ut eo facilius nummis apud se depositis uti possint, & in suos usus

con-

convertere, perstringit. Omissio igitur horum requisitorum facit, ut depositio sit injusta & invalida, imo periculum pecuniæ depositæ non ad creditorem, quod alias fit, sed ad debitorem pertineat, isque non obstante depositione, nihilominus ad solutionem tam sortis, quam usurarum condemnari possit, cum ea, quæ casibus, fortuitis eveniunt semper spectent ad morosum. *l. 23. l. 91. §. 3. ff. d. V. O.* Lubet autem hanc doctrinam suppeditatam clariorem reddere responso, cujus meminit Carpz. *l. c.* estque sequens: Ob nun wohl der Gläubiger solche Gelder mit anitzo schweren Gelde ausgewechselt haben wil/ mit Fürwenden/ daß Ihr die requisita depositi nicht in acht genommen/ und weder an gebührenden Ort/ noch zu rechter Zeit das gantze Capital benebenst den Zinsen an den geliehenen Werth und Müntz-Sorten offeriret, noch auch auf vorgehende citation seiner/ als des creditoris ad videndum deponi die deponirten Gelder ihme gerichtlichen zugezehlet/ und nachmahls versiegelt hättet/ allermassen zu einem rechtmäßigen und beständigen deposito solches nothwendig erfordert wird ꝛc. Quis autem depositum obsignare & quibus sigillis obsignatio fieri debeat, expresse in jure definitum non reperitur. Sane dicitur quidem *in l. 5. ff. de L. commiss.* pecuniam debitam signatorum signis obsignatam esse depositam, non tamen ulla lege sancitum est, aut constitutum, quod signatores, h. e. testes ad rem signis suis obsignandam adhibiti de necessitate sint requirendi. Docet hinc Freyer. *l. c. n.* 214. quod in nonnullis locis sive judiciis receptum sit, ut fiat obsignatio à solo judice, ubi verò hæc consvetudo non viget perinde esse affirmat Schultz. *d. tr. & c. n.* 30. an ea fiat ab ipso debitore, an verò ab aliis ejus nomine expediatur, dum tamen adhibeantur personæ honestæ & fide dignæ. vid. Theoder. Hopingk. *d Jure Sigillor. cap. 2. per tot.* Excluduntur tamen à Dd. fœminæ, quarum signa in alienis negotiis fidem non mereri docet Hopingk. *d. tr. c.* 4. *n.* 82. Signis verò privatis, non autem publicis factam antiquitus esse obsignationem testatur Brisson. *d. tr. lib. 2. p. m.* 116. ubi somniare eos ait, qui sigilla publicá tantum adhibita esse affirmant, eosque tam ex jure Romano, quam ex Cicerone, nec non Macrobio refutat, Benev. quo Lectorem remittimus, putantes hodie, si

 à pri-

à privatis fit obsignatio, non interesse, sive ea fiat annulo signatorio, mit einem Ring-Pittschafft/ sive sigillo, mit einem Einsiegel/ sive signo, mit einem Hand-Zeichen. Notandùm quoque antequam hinc abeamus requisita hæc solennia oblationis & obsignationis haud necessario esse observanda in depositione necessaria, quæ scilicet apud sequestrem vel judicem fieri solet in favorem creditorum domo sub hasta vendita, qua de re videatur cit. Carpz. *d. p. 2. c. 18. d. 17. per tot.*

Th. 8. Septimo requiritur, ut pecunia vel res debita solenniter obsignata, in loco tuto deponatur. *l. 28. §. f. d. adminiftr. & peric.* Richt. *cit. decis. 75. n. 28.* Quis autem locus tutus sit non immerito hic quærimus. Communiter igitur locum publicum hoc nomine venire affirmant. *per l. 56. §. 1 ff. mandati l. 64. ff. d. fidejuss. & mandat.* quis autem sit locus publicus manifestat toties citata *l. 19. C. d. usur.* ubi Imper. Philipp. hæc habet: *In hoc autem casu publicum intelligi oportet vel sacratissimas ædes, vel ubi competens Judex super ea re aditus deponi eas dispofuerit.* Scilicet teste Schultz. *l. c. p. 329.* erant apud Romanos in ædibus sacris loca quædam munita, in quibus pecuniæ partim publicæ, partim privatæ, custodiæ causa asservabantur, quarum cura, sicuti & totius templi, demandata erat æditui *l. 4. ff. d. statu liber.* add. Brisson. *l. c. & hujus Diss. c. 1. th. 8.* ubi fusè hac de re jam actum. Sublato vero hoc more tutissimum esse affirmant apud competentem judicem sicque judicialiter rem debitam deponere, extrajudiciale enim depositum & apud privatum hominem factum nullatenus valere volunt. Quamvis sicco haud possimus præterire pede ea, quæ ex Barbos. *in l. 19. C. d usur.* notat Magnif. D. Struv. *S. J. C. Ex. 47. th. 79.* suntqve sequentia. *Licet tutius sit judicis autoritate deponere, tamen in puncto juris verius est, deposito extrajudiciali debitorem à debito liberari, dummodo apud idoneam & honestam personam debitor deponat in præsentia honestorum virorum ex l. creditor. C. d. pign. l. 9. C. d. solut.* quo spectat casus ille, quem habet Vigel. in Gerichts-Büchl. *cent. 1. cas. 74.* Sane de Jure Saxonico extrajudicialem depositionem nullius esse momenti testatur Schultz. *l. c. p. 330.* ubi & responso id confirmat. add. Carpz. *l. 5. Resp. 99. n. 25.* Contrarium verò obtinere videtur de Jure Prutenico per tx. in Landr. *l. c, §. 1.* ibi; *aut adhibitis testibus apud privatum aliquem deponit.*

Th. 9.

Th. 9. Octavo denique & ultimo loco requiritur ad depositum juris, ut illud scilicet peculiares illos effectus, de quibus in sequ. erimus soliciti capite, producat, ut duret obsignatio & depositio in eadem causa, quia pro non deposita habetur ea pecunia, quam postea debitor ad se rursus recepit. *l.* 1. C. *qui pot. in pign. l. si priusquam* C. *d. distr. pignor.* Unde si debitor pecuniam obsignatam ac depositam antequam eam recipiat creditor, resignaverit ac repetierit, inque suos usus converterit omni destituetur facta depositio effectu, fingitur enim tunc, ac si nunquam ea facta fuisset, unde & nullatenus ea debitori prodest. Schneidew. *ad* §. *f.* 1. *quib. mod. toll. obl. n.* 17. Donell. *lib.* 16. *comm. c.* 14. *p.* 685. *vers. sed tamdiu.* Schultz. *d. l. n.* 32. *pag.* 338. *& seqq* qui & prolixo responso ibid. hoc ipsum illustrat. Brunnem. *ad d. l.* 19. C. *d. usur. n.* 8. Preuſch. Landr. *lib.* 1. *a.* 65. Verum quod & hoc ultimum requisitum concernit, vocatur & illud de jure communi à multis in dubium, cum textus juris Civilis simpliciter oblationi, obsignationi, & depositioni hunc effectum adscribant, non vero durationi, unde & nullibi legi affirmant ad hanc depositionem tanquam necessarium requisitum durationem depositi requiri. Et hinc firmiter concludunt debitorem statim post factam depositionem liberari, neque durationem hic esse attendendam. Sed vereor, ne huic sententiæ graviter obstet *l.* 8. C. *d. distr. pignor.* ibi *& hodie quoque in eadem causa permanet*, add. *l.* 1. C. *qui por. in pigner.* ibi *nec in suos usus convertit*, post depositionem scilicet eam recipiendo. Et hæc de forma depositi juris sufficiant.

Caput IV.

De

EFFECTIBVS.

Th. 1.

Prædictis & jam enumeratis depositionis requisitis exacte observatis, ingentes ea parit effectus, tum ratione debitoris, tum etiam ratione creditoris. Quod autem effectus ratione debitoris concernit, lubet cum Hahn. ad Wesenb. *d. l.* vel potius cum Schultz. *d. tr. c.* 5. *n.* 3 eos dividere in principales & minus principales. Ex quibus

principalis eſt, quod depoſitio legitime facta habeat vim ſolutionis ac traditionis. Carpz. *p.* 2. *c.* 30. *d.* 14. *n.* 1. quoad omnia *arg. l.* 1. C. *qui pot. in pign. l. pen. d. diſtr. pign.* Freyer. *l. c. n.* 218. Preüſch. Landr. *d. l.* §. 3. tollatque atque perimat obligationem, ſicqve liberet debitorem ab obligatione ipſo jure, perinde ac ſi realiter & naturaliter pecuniam creditori numeraſſet. H. Donell. *lib.* 16. *comm. c.* 14. Nicol. Boër. *deciſ.* 124. *n.* 22. Dn. Köppen *deciſ.* 34. *n.* 9. *& ſeqq.* aliique quamplurimi, quos magno numero allegat Schultz. *l. c.* Eſt enim ſolutio civilis Dn. Struv. *d. l. th.* 77. habetque vim veræ ac naturalis ſolutionis, quæ ipſo jure obligationem perimit. Ex quibus prono fluit alveo erroneam videri eorum opinionem, quam tamen magni nominis JCti defendere conati ſunt, qui ſtatuunt eam ope ſaltem exceptionis ab obligatione liberare. Contraria namque ſententia ulterius ſequentibus probari poteſt rationibus. (1) per *l.* 9. *C. d. ſolut.* ubi ſimpliciter & abſolute ponitur vox liberatio, per quam abſolutè poſitam, liberationem, quæ ipſo jure fit intelligi debere conſtans DD. eſt ſententia. Bachov. *ad Tr. v.* 2. *d.* 29. *th.* 1. *lit. K.* (2) *per d. l.* 19. C. *d. uſur.* ubi dicitur non habere creditorem adverſus debitorem deponentem actionem, quod ſi hoc, neceſſario ſequitur & obligationem eſſe ſublatam, cum actionis mater ſit obligatio. *l.* 42. §. 2. *ff. d. procur.* Theoph. *ad pr.* 1. *d. obligat.* Dicitur autem ipſo jure diſſolvi obligatio, quando ipſa penitus tollitur, id quod fit, quando ipſis verbis legis liberatur debitor: per exceptionem verò, cum ſubtilitate juris manente obligatione & actione reus aliqua æquitate defenditur, propoſita ei, eam in rem exceptione, quam actioni opponat. *pr. I. d. except.* Et ſane multum intereſt, utrum obligatio ipſo jure ſit nulla, an vero ſummo jure valeat actionemque pariat, quæ tamen per exceptionem elidatur; ſiquidem fieri poteſt, ut exceptio vel plane non opponatur actori, vel opponatur quidem, ſed non juſto & legitimo tempore, quibus caſibus certum eſt actionem perinde vires habere ac effectum ſortiri, ac ſi nulla penitus exceptio reo competiiſſet. Objectiones huc ſpectantes ſolvit Schultz. *d. l. n.* 4. qui videatur.

Th. 2. Expoſito effectu principali pergimus nunc juſto ordine ad effectus minus principales, ex priori quaſi pullulantes, quorum

Pri-

Primus est quòd solennis hæc depositio sistat cursum usurarum *d. l. 19. C. d. usur.* adeò ut debitor usuras, sive per stipulationem promissas, sive per moram officio judicis debitas amplius præstare non compellatur. Brunnem. *l. c. n.* 3. sublata namque obligatione principali, sublata quoque est accessoria, cum regulariter accessorium naturam sui principalis sapiat, ast quid aliud sunt usuræ, quam quantitas sorti seu quantitati principaliter debitæ accedens, præstanda in re ejusdem generis *l. 32. & l. f. C. d. usur.* Neque obicem ponit huic nostræ assertioni *l. 7. ff. d usur.* ubi dicitur nummos steriles esse non debere, si debitor post depositionem conventus moram in solvendo fecerit. Etenim hic textus loquitur de eo casu, quo debitor nnmmos antea à se obsignatos ac depositos rursus ad se recepit ex deposito, uti post Glosf. ad hanc legem notat Brunn. *n.* 1. quam explicationem confirmat, quod debitor moram contrahere non potuisset, si mansisset pecunia in deposito. Firmo igitur adhuc stat talo, manetque inconcussum hunc esse effectum legitimæ depositionis, id quod & confirmat responsum Facultatis Juridicæ Wittebergensis d. die 30. Junii ann. 1625. cujus tenor hic est: Daß Beklagte die Zinsen zu erlegen nicht verbunden/ sondern dadurch / daß Sie die Rette offeriret, und ins Gerichte deponiret des Anspruchs zu erlassen sey. V.R.W. Consentit Preusch-Landr. *d. l.* §. 3. Limitationem tamen vide apud Carpzov. *p. 2. c. 30. d.* 13.

Th. 3. Secundus effectus minus principalis respectu debitoris est, quod hac depositione liberentur pignora, si quæ fuerint data *l. 6. & 9. C. d. usur. l. 8. C. d. distr. pign. l. f. C. d. luit. pign. l. 10. C. d. pign.* eorumve distractio impediatur *d. l.* 8. ibique Brunn. *n.* 1. quamvis ante depositionem, si creditor pignus distraxisset, jure suo fuisset usus. *l. 7. d. t.* Quod si vero liberantur pignora per depositionem hanc, sequitur rectè quoq; debitorem actionem pignoratitiam directam post depositionem adversus creditorem instituere ad reddenda ea, quæ pignoris loco acceperat. *d. l. f. d. luit. pign.* Preusch-Landr. *d. l.* §. 4. propria enim autoritate pignus occupare nequit, licet recte pecuniam deposuerit, sed hoc casu tam de Jure Civili, quam de Jure Canonico per ea, quæ tradit Philipp. *II. J. Pr. l. 4. ecl. 12. n. 9. &* 13. ut & de Jure Prutenico *l. c.* dominio cadit, ibi. *Quodsi quis propria autoritate pignus occupaverit,*

verit, Jus suum amisisse intelligitur licet pecuniam debitam exsolverit vel deposuerit. In quo differt hoc Jus à Juris Saxonici dispositione. Eo enim jure occupator rei ab alio possessæ adstringitur saltem eam restituere, dominio ipsi salvo manente, unde & actionem retinet pro recuperandis talibus bonis debitis suis. Sachsen Landr. *l. 3. art. 43. & 47.* Coler. *Decis.* 125. *n. 2. p. 1.* aliique quamplurimi, quos catervatim allegat Philipp. *l. c.* Hinc pœnæ nomine tenetur solummodo invasor parti ad emendam, quæ est XXX. solidorum & ad multam judici arbitrariam pro attentati gravitate. Landr. *d. a. 43. & 47.* Carpzov. *p. 4. c. 35. d. 11. & 12.* Sicuti autem facta depositione pignus repeti potest, ita & cautio seu chirographum post illam à creditore per condictionem sine causa debitor repetere valet, *per l. 2. C. d. condict. ex leg.* Preusch-Landr. *l. c.* §. 1. *med.* Quod si vero neutrum facit datam liberationem seu quietantiam officio judicis petere potest. vid. Sichard. *ad l. 9. C. d. solut.*

Th. 4. Sequitur nunc tertius effectus secundo non absimilis, qui est, quod & fidejussorum si qui dati, per factam depositionem tollatur obligatio, sive ipsi fidejussores deposuerint, sive debitor principalis der Selbstschuldiger *l. 64 ff. d. fidejuss. l. 56. §. 1. ff. mand.* Manz. *ad §. 6. J. d. fidejuss. n* 4. Neguz. *d. tr. d. pign. part. princ. 5. membr. 3. p. 3. n. 8.* Ratio prioris membri est, quia non interest, utrum solvat fidejussor pro debitore id quod est in obligatione an vero aliter creditori satisfiat. *l. 176. ff. d. V. S.* unde & fidejussori statim mandati actio adversus creditorem competit, non tantum ad principale debitum consequendum, sed & ratione cujusvis damni vel interesse *l. ex mandato. l si fidejussor. ff. mand.* Manz. *l. c. n.* 5.

Th. 5 Quartus, isque insignis solennis depositionis effectus est, quod ea transferat periculum rei depositæ in creditorem, qui moram fecit *l. 19. C. d. usur. l. 9. C. d. solut.* ut quicunque casus postea acciderit securus debitor in portu naviget. Brunnen. *d. tr. p.* 218. Christin. *decis.* 56. *n. 4. v. 5.* Freyer *d. l. n.* 220. quia semper casus seu periculum ad moratorem spectat *l. 22. & seqq. l. 91. §. 3. ff. d. V. O.* Carpz. *p. 2. c. 30. d. 14. n. 2.* cum unicuique sua mora noceat. *l. 173. §. 2. ff. d. R. J.* Ratio igitur hujus asserti in eo posita non est, quod creditor fiat dominus per hanc depositionem, quod vult Carpz. *l. 5. Resp. 100. n. 11.* non enim transfertur dominium per eam ad creditorem. *arg. l. 55. ff. d. O. & a.* unde

de

de & deponenti licitum eſt depoſitum ad ſe recipere *d. l.* 19. C. *d. uſur.* non obſtante quod debitor hoc animo depoſuerit, ut creditoris fiat pecunia, nam & hoc ſimul egiſſe cenſetur, ut quamdiu ei data non ſit, ipſe pecuniam recipere poſſit. D. Svendendorff. *ad Eck. tit. d. ſolut.* §. 12. Et nullatenus ſequitur periculum rei ad aliquem ſpectat, ergo eſt dominus, nam & ad emptorem periculum rei venditæ ante traditionem pertinet. §. 3. *I. d. empt. & vend.* Preuſch. Landr. *lib.* 4. *t.* 6. *a.* 13. §. 1. quem tamen ante traditionem non eſſe dominum clarus innuit textus *d.* §. *I. d. empt. & vendit.* ibi: *quia ſanè, qui nondum rem emptori tradidit adhuc ipſe dominus eſt.* add. Philipp. *U. I. Pr. l. 3. ecl. 72. & ſeqv.* & Illuſtris Dn. Fuchs. *ad d.* §. Ex eo verò, quod periculum rei debitæ depoſitæ ad creditorem pertinere diximus ultro quoque ſequitur, quod ſi bonitas, monetæ depoſitæ fuerit mutata, illius quoque damnum pertineat ad ipſum creditorem: poſt moram enim non ſolum totius rei interitus, ſed ejusdem deterioratio & diminutio ei damnoſa eſſe debet, id quod præjudiciis confirmat Carpz. *d. l. n.* 11. quamvis in contrario caſu ſi debitor moram in ſolvendo commiſiſſet, haud obligaretur debitor in meliori ſolvere moneta, quam quæ fuit tempore initæ conventionis ſeu debiti contractus, cum ſufficiat reddi debitum in eadem bonitate *l.* 3. ibique Dd. *ff. d. R. C.* vid. Carpz. *p.* 2. *c.* 28. *d.* 15. *per tot.* Neque ad rem aliquid ulterius facit, quod ipſo jure liberetur debitor, ſicque non poſſit non dominium conſequi creditor, quod vult Sichard. *ad l.* 9. *C. d. ſolut.* ibi, *fieri creditoris.* Etenim & hæc conſequentia ſat debilis eſt, nam & per acceptilationem ipſo jure fit liberatio, & tamen nihil in creditorem transfertur. Imo ad id ut dominium transferatur, & alteri acquiratur, requiritur utriusque affectus. *d. l.* 55. *ff. d. O. & A.* qui tamen hoc caſu ex parte creditoris deeſt.

Th. 6. Traditis effectibus depoſiti juris reſpectu debitoris, pergimus nunc ad eos, quos illud producit reſpectu creditoris. Operatur igitur illud primo ratione ejus amiſſionem actionum adverſus debitorem & fidejuſſores ei competentium, item quod cautiones & pignora reſtituere cogatur, ſicuti hoc jam in antecedentibus innuimus. Quemadmodum enim ſolutio, ita & hocce depoſitum, quod per omnia vim habet veræ & realis ſolutionis, fomentum actionum,

h. e. obligationem, extingvit ut proinde nullatenus quædam competere possit actio.

Th. 7. Secundus effectus ratione creditoris est, quod detur ei si depositum accipere velit, actio in rem seu rei vindicatio adversus depositarium & contra quoscunque rei depositæ possessores: *arg. l. 23. pr. ff. d. R. V. l. 8. in f. C. ad exhib. l. 19. C. d. usur.* ibi *creditori scilicet actione utili ad exactionem earum, non adversus debitorem, nisi forte ea receperit; sed contra depositarium l. ipsas competente pecunias.* ibique Brunn. & Castrens. *n.* 5. add. Schultz. *d. tr. c.* 5. *n.* 10. Intelligendum autem hoc non de actione directa, sed utili saltem, quæ ipsi datur ex æquitate. Donell. *lib.* 16. *c.* 14. *lit. E.* Svendend. *ad Eck. d. t. d. solut.* §. 12. directa enim competere ei nequit propter rationem, quod dominium, uti jam evictum est antea, in creditorem translatum non sit, cum neque traditio, per quam dominium transfertur, *l.* 11. *ff. d. R. J. l.* 20. C. *d. pact.* neque accipientis consensus intercesserit. Ast quid directa rei vindicatio aliud est, quam actio realis, qua quis jure dominii certi rem suam esse asserit. §. 4. *I. d. act.* Rebhahn. *in Hodegem jur. chart.* 4. *clim.* 5. §. 19. Cur autem utilis detur rei vindicatio creditori causam alii aliam assignant. Brunn. *l. c.* hanc affert, quod scilicet debitor nemine creditoris & in ejus utilitatem deposuerit. Verba ejus hæc sunt: *Ratio autem cur utilis actio detur est, quia non ipse creditor, sed ipsius nomine & in utilitatem ejus id fecit debitor, quo casu in nonnullis casibus utilis solet actio dari.* Nititur autem autoritate Castrensis *ad d. l.* 19. *C. d. usur. n.* 5. Schultz. verò *d. l.* talem assignat, quod licet dominium translatum non sit, talia tamen sint facta, quæ translationi similia, quippe cum debitor hoc animo deposuerit, ut voluerit creditorem acquirere, non quod verè, sed per depositarium, per quem possessionem & sic consequenter ipsum dominium creditor acquisivisse videatur. *l.* 20. §. *f. l.* 53. *ff. d. A. R. D.* & ideo ex mente saltem & sententia legis utilem dari actionem, quæ quasi domino dari solet affirmat. Citat quoque pro hac sua sententia confirmanda Neguzant. *d. l. n.* 29. aliosque plures. Objectiones huc facientes vide apud eundem *d. l.* nec non apud Donell. *d. c.* 14. *versic. sed cum p.* 688. Brunn. *l. c.*

Th. 8. Tertius effectus huc spectans est, quod detur quoque cre-

creditori actio depositi adversus depositarium, non quidem ex stricta juris ratione, cum nulla intercesserit conventio inter eum & depositarium, sed rursus ex æquitate. Quod verò hæc actio creditori detur, non tam ex *l.* 19. C. *d. usur.* quam potius ex *d. l.* 8. C. *ad exhib.* evincitur. Sed sicuti priori casu utilis rei vindicatio tantum locum inveniebat, ita quoque in præsentiarum, non directa depositi actio, sed utilis saltem, quæ ex mente & sententia legis descendit, huc referenda. Zanger. *d. p.* 3. *c.* 2. *n.* 144. Schultz. *d. l. p.* 376. & 377. Brunn. *l. c.* Nec obstat, quod per extraneam personam excepto procuratore, nihil nobis acquiratur, §. *pen. I. per quas. person. cuique acquir.* Manz. *ibid.* & *l.* 1. *C. eod.* debitorem verò hic respectu creditoris pro extraneo esse habendum. Responderi enim potest (1), quod licet, per extraneam personam directo nihil acquiratur, parari tamen per eam possit via ad actionem, notante id ipsum laudato Brunn. *ad l.* 1. C. *d. t. n.* 8. (2) regulam suppeditatam valere tantùm eo casu, cum conventione id agitur, ut quæ actio in persona acquirentis non consistit, rectà alii acquiratur. Sed debitor hic sibi primo per depositionem pecuniæ acquirit actionem directam per consequentiam verò saltem creditori utilem. Zanger. *d. l. n.* 145. Tenetur igitur & adstrictus est depositarius, non solum rem ipsam depositam creditori restituere, sed & omnes fructus, omne emolumentum, imo & usuras ex tempore moræ *arg. l.* 13. *ff. d. usur.*

Th. 9. An vero & quarto hunc producat effectum depositum nostrum juris, ut & ipse debitor, si debitum depositum ad se receperit, à creditore conveniri possit? nunc inquirendum venit. Affirmativæ verò sententiæ hoc casu tenaciter esse inhærendum expresso probari potest *tx. in l.* 19. *C. d. usur. in f.* ibi *non adversus debitorem, nisi forte ea receperit.* Difficilior verò est quæstio, quâ actione creditor adversus debitorem experiri possit, etenim nulla videtur ipsi actio prodita, cum semel obligatio, qua debitor ipsi devinctus erat sublata sit; & obligatio semel extincta redintegrari nequeat §. *6. I. d. noxal. act.* ibique Schneidewin. *n.* 5. nec non Theoph. add. Vultej. *in Jurispr. Rom. lib.* 1. *c.* 52. Pugnantes sanè hoc de themate extant Dd. opiniones. Et Bachovius quidem *ad tr. V.* 2. *D.* 29. *th.* 1. *tit. L.* existimat veterem creditori hoc casu restitui actionem;

ex

ex ratione quod hoc casu, quo debitor depositum recipit, fingatur depositum nunquam factum esse, sicque omnia in pristinum statum reponantur. Verum quid de hac opinione sentiendum apparet ex iis, quæ supra *c.* 3. *th.* 8. de duratione depositi sunt suppeditata. Aliam hinc fovet opinionem Donell. *ad l.* 9. C. *d. solut. n.* 12. scilicet veterem quidem restitui actionem, ast non directam, sed utilem saltem, cui calculum suum addit Anton. Matth. *tr. d. obligat. Disp.* 39. *n.* 19. Sed verior videtur sententia, quod illa ipsa actio utilis, quæ datur ei contra depositarium, ei quoque competat contra debitorem depositum recipientem, qvam sententiam juvat *l.* 19. *C. d. usur.* ubi dicitur quod ei quoque competat actio adversus depositarium debitum recipientem, nullius verò, nisi ejus actionis utilis, de qua diximus fit mentio. Ad rationem verò dubitandi respondendum, quod quamvis stricto jure non reviviscat obligatio & actio semel extincta directa, possit tamen nonnunquam in locum ejus substitui utilis solius æquitatis intuitu; Exemplum videatur ap. Dn. Struv. *Ex.* 21 *th.* 8.

CAP. V. & ULTIMUM.

De

CONTRARIIS & AFFINIBUS.

Th. I.

Acturi hoc cap. brevissimis saltem de contrariis atque affinibus depositi juris à contrariis sumere placet initium. Contrarie igitur deposito juris opponitur id, quod â Dd. vulgo depositum facti vocatur, estque nihil aliud, quam contractus, quo rem nostram apud amicum gratis custodiendam deponimus, quovis tempore, ut lubet â nobis repetendam. *arg. l* 1. *ff. depos.* §. 5. *I. quib. mod. re contr. obl.* illustris Dn. Fuchs. *ibid.* Dictum autem depositum facti esse contractum, quia est modus obligationem constituendi, in quo statim illud differt â deposito juris, quo ipso non constituitur obligatio, sed dissolvitur. Est enim solutio quædam *l.* 1. §. 36. *ff. depos l.* 9. *C. d. solut.* ast ea

inter

inter modos obligationem constituendi non reponitur. Et quamvis competat debitori deponenti adversus depositarium actio depositi directa, hoc tamen non officit, quo minus hoc nostrum assertum suo adhuc gaudeat robore. Duobus enim modis hic actus, qui à debitore celebratur, potissimum consideratur, (1) respectu creditoris, (2) respectu magistratus apud quem depositio fit. Priori modo nullatenus dici potest contractus, sed revera est distractus, id enim intendit, debitor ut se ab obligatione sua liberet. Posteriori verò casu videtur esse contractus, attamen eum principaliter non intendit debitor.

Th. 2. Cum verò mens debitoris sit pecuniam vel aliam rem depositam facere creditoris, sane maxime deposito juris vel ejus fini contrariatur, si depositarius, pecunia deposita utatur, eamque in proprios usus convertat, unde & magistratum, qui pecuniam obsignatam citra creditoris debitorisve consensum resignavit, eaque usus fuit, furtum committere docet Schultz. *d. l. p. m.* 343. *per tx. in* §. *furtum autem fit.* 6. *verf. itaque. I. d. obligat. quæ ex del. nasc. l.* 16. *ff. d. condict. furtiv. l.* 3. ubi DD. *C. depos.* nec non per generalitatem *tx. Constit. Crim.* Car. V. *a.* 170. cujus verba hæc sunt: Welcher mit eines andern Gütern/die Ihme in guten Glauben zu behalten und verwahren gegeben sind/muthwilliger Weise den Gläubiger zu Schaden handelt/ solche Mißethat ist einen Diebstall gleich zu straffen. add. Schneidew. *ad* §. 3. *I. quib. mod. re contr. obl. n.* 11. unde & *eodem cap. p.* 381. tradit teneri talem magistratum deponenti aut creditori actione furti. Eadem ex Schultz. deprompta habet Freyer. *d. solut. d. l. n.* 216. Limitatur tamen hæc doctrina communiter à DD. (1) si pecunia non fuerit obsignata, sed ad numerum saltem deposita, tunc enim tacitè pecunia utendi licentiam datam esse depositario autumant, & sufficere, si ea in eadem bonitate & quantitate restituatur, quamvis in Electoratu Saxonico, si durante monetaria confusione magistratus vilem & usualem auctamve ap. se depositam pecuniam in suos usus converterit, eum non liberari, etiamsi ipse, vel eo defuncto hæres ejus, nummos in eadem bonitate restituere velit, sed talem, cujus nunc est usus reddere necessum habeat, doceat idem Schultz. *l. c. p.* 347. add. Brunn. *ad l.* 24. *& sequ.*

ff. depos. vel contra. n. 2. qui & *n. seqv.* 3. limitationem annectit. (2) limitant id, quod dictum in deposito irregulari, quod notissimos depositi terminos excedit, ita ut res fungibilis primario custodienda tradatur, per accidens vero usus ejus concedatur, ita ut postmodum in genere solum ea sit restituenda Magnif. Dn. Mullerus *in Jurisprud. Elem. D.37. th. 21. fin.*

Th. 3. Cum depositum sit gratuitum custodiaque in eo gratis præstari debeat, si enim merces intervenerit, non depositum, sed locatio erit. *l.* 1. *§.* 8. *& §. seqv. ff. depos. arg. §. ult. I. d. mandat.* Schneidew. *ad* §. 3. *I. quib. mod. re contr. oblig. n.* 9. non minimum quoque adversatur deposito juris, si magistratus penes quem pecunia fuit deposita certam portionem de ea, quasi mercedis aut donarii loco detrahere velit; avaritiam enim sapit magistratus contra expressam juris dispositionem deponentem onerare & ab eo invito donarium extorquere. Aliud tamen statuendum, si longæva loci alicujus consvetudine diversum sit introductum; aut etiam deponens liberaliter erga magistratum se gerere velit nullo modo ad id invitatus, sed sponte sua, tunc enim nequaquam magistratus prohibetur oblatum donarium in remunerationem præstiti beneficii accipere. *l.* 2. §. 24. *ff. vi bonor. rapt.* Et secundum hæc responderunt Scabini Lipsienses teste Carpz. *p.* 2. *c.* 28. *d.* 22. *n.* 7. ad consultationem Quæstoris zu Liebenwerda Mens. Febr. ann. 1634. Verba responsi ita se habent: So seid Ihr von solchen deposito pro custodia & labore einig Aufgeld zu fodern und inne zu behalten nicht berechtiget/iedoch werden Euch die bescheinigten unkosten/so ihr Ampts halber zu den hin und wieder führen des Geldes nothwendig angewendet/hinwieder erstattet. Es were denn in selbigem Ampte durch eine beständige Gewohnheit eingeführet/und über Rechts verwehrten Zeit iedesmahl unverbrüchlichen also gehalten worden/daß nehmlich von den depositen Geldern/und von ieden hundert ein gewisses dem Ampte zum Aufgelde gelassen werden müsse/auf solchen Fall hättet ihr euch solcher Gewohnheit gleichfalls anizo zu gebrauchen wohl fug. V. R. W.

Th. 4. Missis contrariis ad affinia nunc facimus accessum. Habet

bet igitur affinitatem quandam cum nostro deposito (1) solutio *pro*prie sic dicta, quæ fit in præcisa specie & forma obligationis, v. g. si is, qui obligatus est solvere pecuniam auream eam solvit. Cum hac solutione ratione effectus seu effective, uti loqui amant, omninò convenit depositum juris, quod & ipsum non aliter, quam ipsa solutio ab obligatione liberat, unde solutio in genere per præstationem legitime factam ejus, quod debetur definiri solet. Voce præstationis autem, non tam actualem pecuniæ numerationem, seu rei debitæ exhibitionem, sed & virtualem solutionem, quæ delegatione compensatione vel similo modo expeditur, denotant. (2) Convenit depositum juris hoc modo cum omnibus in universum modis, quibus tollitur obligatio, & licet maxime cum iis, quibus perimitur ea ipso jure, negari tamen nequit, quod & cum iis habeat convenientiam quibus ea tollitur ope exceptionis. Etenim postquam exceptio debito atque legitimo tempore opposita est, perinde habetur ac si nunquam actio competiisset, ita, ut verum esse videatur, quod habet Treutl. *Diss. ff. 29. th. 1.* & Hunn. *ad Treutl. v. 2. d. Diss. th. 1.* obligationem ipso jure nullam in effectu convenire cum obligatione per exceptionem extincta. (3) Affinis est huic deposito nuda oblatio, quæ in suo genere quoque aliquot producit effectus &c. Et hæc pro ratione instituti nostri dicta hac vice sufficiant; plura enim addere, quamvis adhuc quædam superessent, pagellarum in quas nos coarctavimus, prohibent angustiæ. Te igitur L. B. primo loco compello, rogans etiam atque etiam velis pro ea, qua polles in judicando prudentia, tenuem hunc laborem æquissimo tuo provehere judicio, & si quæ minus subtiliter dicta sunt, benevole condonare, cogitans, quod nemo repente fiat summus. Tibi quoque Æterne DEVS, omnis juris ac justitiæ fons limpidissime, pro divina nobis exhibita gratia sit

Laus, Honor, atque Gloria.

CO-

COROLLARIA.

I.

Quamvis regulariter impuberes pubertati proximi ob commiſſum furtum arbitrariam ſuſtineant pœnam, cum tenera hæc ætas commiſeratione ſit digna; fallit hoc tamen, ſi impuberis malitia tanta ſit,ut ea defectum ætatis ſuppleat,v.g.ſi furtum ſæpius ſit iteratum,cum effractione violenta factum; tunc enim pœnam, modo fur annum 14. mox adimpleverit ad mortem etiam & ſuſpendium extendi poſſe affirmat Philipp. *U. 1. Pr. l. 4. ecl. 8.*

II.

Jus diſtrahendi liberos ex æquo competit patri & matri.

III.

Tutor teſtamento dari poteſt etiam filio exhæredato.

IV.

Etiam rei minimæ fit furtum, ſicuti & rapina.

V.

Commodatum non admittit compenſationem.

VI.

Conſvetudinem, quæ vult, ut res furtivæ non domino vindicanti, ſed fiſco applicentur, in Gallia, Lotharingia, &, quibusdam locis Germaniæ obtinere refert Mindanus *lib. 2. d. mandat. judic. c. 45.*

c. 45. *n.* 9. Rectè verò eam, impiam, barbaram, brutamque & tam à naturali æquitate, quam à jure ſcripto alieniſſimam, vocat, Setſer. *tr. d. juram. lib.* 1. *c.* 20. *n.* 11.

VII.

Quamvis vera ſit regula, mandatum rei turpis non eſſe obligatorium, falſa tamen non eſt opinio ſtatuentis, illud tam mandantem quam mandatarium firmiter nonnunquam obligare.

VIII.

Vera & adæquata ratio cur mulieres in codicillis teſtes eſſe poſſint, non eſt, quod teſtes in illis non requirantur ad ſolennitatem ordinationis, ſed alia, quam in conflictu data occaſione ſuppeditabimus.

IX.

Poteſt quis teſtamentum nuncupativum condere, ut tamen teſtibus præſentibus heredem non nominet, quamvis aliàs teſtamenti hujus requiſitum ſit, ut teſtes nomen heredis ſciant.

X.

Quamvis prodigi, quibus decreto magiſtratus interveniente bonorum adminiſtratio interdicta eſt, furioſis æquiparentur, tum ratione defectus voluntatis *l.* 40. *ff. d. R. J.* tum ratione bonorum in quibus furioſum faciunt exitum, *l.* 12. §. *f. ff. de tutor. & curat.* nihilominus tamen fieri poteſt ut teſtamentum ab iis conditum valeat.




Nobilissimo & Praeximio

Dn. ARNOLDO COELESTINO VVERNICKEN,

Jurium Cultori solertissimo
Amico suo æstumatissimo

S. D.

JOHANNES HENRICUS POTT,
Phil. & U. I. D.



Non minimam certè, amice honoratissime, merentur laudem, qui sacræ Themidi se suamque mancipant vitam, eique strenuè navant operam. Licet enim aliorum quoque conatus aliquid momenti ad juvandam Rempubl. afferre possint, tantum tamen non valent, quantum horum qui ad hanc sacri juris scientiam animum adjunxere suum, cum ea nil quicquam magis necessarium in benè constituta Republica deprehendatur. Tolle enim jus nostrum è medio & omnes domos, pagos, urbes, regiones,

giones, imo universam naturam penitus subverteris! Perspexit hoc vir ille πολιτικώτατος Cicero, non minus scitè quàm verè lib. 3. LL. scribens, sine legibus nullam domum, nec civitatem, nec gentem, nec hominum universum genus stare, nec rerum naturam, nec ipsum denique hominem consistere posse. Quibus sane facilè quis suum adjiceret calculum, quod enim sol in cælo, ratio in homine, gubernaculum in navi, illud in benè formata civitate nostra est Jurisprudentia. Verum quamvis dictis aliqualem non denegemus laudem, majus tamen elogium tribuendum est his qui non solum ardenter atque assiduo studio, sed & justo ordine accurataque methodo juris scientiam tractant, & media illa quibus veluti scalæ gradibus inhærentes, arcem veræ hujus & non simulatæ sapientiæ conscendere valemus, arripiunt: qui scilicet solidis politioris literaturæ jactis fundamentis, vera imprimis imbibunt Juris principia, eaque variis exercitiorum generibus corroborare student, neque mox hunc mox alium aggrediuntur laborem, saltusque faciunt maximos ita ut vix primis perceptis juris elementis ad Extravagantes statim confugiant, sicque per omne vitæ suæ spacium extra oleas vagari eos oporteat. Sicuti namque non venit ad cicatricem vulnus, in quo crebra tentantur medicamenta, ita neque animus ejus ad solidam pertingere potest juris scientiam, qui nullius excellentis Doctoris sive autoris ingenio familiariter se applicat, sed multos imo infinitos, audiendo, legendo, omnia cursim atque properanter transmittit. Trutinasti hoc paulo accuratius Nobilissime DN. WERNICKE, unde debitis instructus ac præmunitus literarum subsidiis, non solum in celeberrima Borussorum Albertina, sed & in illustri hac Salana solida juris posuisti fundamenta, eaque variis hactenus privatos inter parietes, nullatenus transcurrens, confirmasti exercitiis, quod ut orbi probares literato elegantem hanc de Deposito Juris ventilandam sistis disser-

ta-

tationem. Gratulor hinc Tibi de erudito hoc eruditionis tuæ specimine, utque toto studiorum tuorum curriculo feliciter confecto, digna consequaris laborum præmia toto pectore voveo atque precor. Vale

Dabam è Museo
d. 29. Maji

PRÆSES.

